

AMSTELODAMI, Sumptibus { JOANNIS VAN SOMEREN et JOANNIS VAN DYCK.
HENRICI et Viduæ THEODORI BOOM. Aº cIↃIↃcLXXXII.

HORTI INDICI MALABARICI

PARS TERTIA DE ARBORIBUS REGNI MALABARICI,

Latinis, Malabaricis, Arabicis, & Brachmanum Characteribus nominibusque expressis,

Unà cum Floribus, Fructibus & Seminibus, naturali magnitudine à peritissimis pictoribus delineatis, & ad vivum exhibitis.

Addita insuper accuratâ earundem descriptione, quâ colores, odores, sapores, facultates, & præcipuæ in Medicina vires exactissimè exhibentur.

ADORNATA

Per Nobilissimum ac Generosissimum D. D.

HENRICUM VAN REEDE, TOT DRAAKESTEIN,

Toparcham in Meydrecht, quondam Malabarici Regni Gubernatorem, supremi Consessus apud Indos Belgas Senatorem Extraordinarium; nunc vero Equestris ordinis nomine Illustribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adscriptum,

ET

JOHANNEM MUNNICKS, M. D.

In eademque facultate Anatomes ac Botanices in Academia Ultrajectina Professorem, & Reip. Ultraj. Poliatrum.

Notis adauxit, & Commentariis illustravit

JOHANNES COMMELINUS.



AMSTELODAMI,

Sumptibus Viduæ JOANNIS van SOMEREN, Hæredum JOANNIS van DYCK, & HENRICI & Viduæ THEODORI BOOM.

Anno cIↃ IↃC LXXXII.

PRIMARIO NOBILI IN MALABAR

POTENTISSIMO PRINCIPI

NOETAVILE-VIROLA

R E G I

Pedinbodappe-Sourowan, Courour, Peratevide, Ellerta-Sourowan, Cochin, &c.

S. P. D.

HENRICUS VAN REEDE TOT DRAAKESTEYN.

QUoties Malabaricas stirpes animadverto, toties mihi collectionis, depictionis ac descriptionis occasio ante oculos versari videtur: Eorumque memoriæ, quorum ope in colligendo usus fui, sæpius recordor. At majestatis tuæ, ingentis Horti Malabarici Domini, nomen præsertim in mentem venit; moxque tanti beneficii, ac amoris recordatio, quibus Majestas tua, ejusque subditi & vicini, me semper prosequuti fuere, renovatur: quorum auxilio, & ope mihi ex immenso arborum, fruticum, ac plantarum numero hortulum hunc colligendi potestas fuit. Si his impulsus spatium præteriti temporis respiciam, cum fortunæ tuæ vexatæ, funditusque eversæ, exilii solatium quærere coactus esses, Majestatis tuæ dignitas memoriæ meæ, egre-

gium constantiæ exemplum, & Regiæ indolis signa profert; Celso ac nobili tuo genere digna, quod per duo mille, & quingentos annos suppeditavit successivè Indiæ Reges. Tunc enim recordor, quoties tum tacitis ac ocultis, tum Indictis & apertis hostibus, ex altissimo Regiæ dignitatis gradu præcipitatus, à subditis expulsus, exul agere coactus fuisti. Fortunâ ita adversâ, adeo te constantem fuisse miratu dignum, ut neque bonorum direptio, neque divitiarum privatio Majestatem tuam permoverint; neque tunc, cum in Celsam & pristinam dignitatis sedem restitui, ac tot tantæque Regionis Regem te coronari viderem. Cum namque in maximas calamitatis tenebras Majestas tua esset conjecta, atque in adversis sine ullo remedio aliquandiu mansisset, postea feliciter Belgarum ope, omnibus hostibus subactis, tantis victoriis ad Regiæ dignitatis Solium adscendit: Quo tempore per septendecim annos me tuæ Majestati servire fortuna permisit. Hisce omnibus ad gratias impellor, ut non solum Majestati tuæ, sed omnibus notum sit, quod neque absentia, neque locorum diversitas, honorem, quem per totum vitæ cursum Majestati tuæ debeam, perdere valeant. Eas ob causas Majestati tuæ hæc depicta Horti Malabarici pars offertur, quæ cum nomine Majestatis tuæ exordiens per totum versabitur orbem, & Majestatem tuam inter Duces ac Principes cuicunque Reipublicæ Mœcenates numerari valebit.

VIRI

VIRI NOBILISSIMI,

HENRICI VAN REEDE VAN DRAAKENSTEIN, &c. &c.

AD

BENEVOLOS LECTORES PRÆFATIO:

In qua ratio redditur operis hujus, nec non obiter multa non protrita de Brachmanibus & Malabaribus eorumque religione, politia ac moribus admiſcentur.

SI qui ſunt, qui me norunt ac pulcre perſpectum habent, me ab ineunte quarto decimo meæ ætatis anno nihil aliud egiſſe, quam extra patrios fines peregrinatum, & pene maximam orbis partem continuo itinere permenſum fuiſſe; illi, inquam, non poſſunt non noviſſe, me nec eruditione varia & recondita, nec Botanices, nec aromatum ſimpliciumve medicamentorum accurata cognitione florere; quam ſcientiam uti quis nanciſcatur, illi per omnes ſuæ vitæ dies huic uni rei diligentiſſime incumbendum fore crederem, qua tamen felicitate ipſe gaviſus non ſum, qui alio vitæ genere tantum non perpetuo fui occupatus. Has ob rationes, hiſce, quos dixi, hominibus abſurdum admodum videtur, quod in fronte HORTI MALABARICI meum nomen exſtet, qui liber perſequitur exoticas plantarum deſcriptiones, earumque in Medicina uſum: Neque ſine ratione abſurdi me arguunt, putant namque ſi mala fide, temere, ac arroganter id peregerim, nihil mihi ſuperfore, præter ignominiam.

Alii, qui me non norunt, & forte majora ſibi de me pollicentur, quam præſtare poſſum, illi procul ullo dubio erunt perſuaſi, priores hos duos tomos totum HORTVM MALABARICVM conſtituere, aut ſi benignius ſentient, ſcatere credent librum magni momenti erroribus, & nullo ordine editum; quod nemo non exſpectat, ſi illi ad edendos libros animum applicent, qui doctrina non pollent. Offendent etiam nonnullos barbara & ignota exoticarum plantarum nomina; & omiſſæ earum cum Europæis convenientiæ & comparationes: omiſſæ itidem Doctiſſimorum Virorum laudationes, qui

** ali-

aliquando de his plantis ſcripſerint, aut earum mentionem fecerint, male alios habebunt, qui horum Virorum teſtimonio has plantas in rerum exiſtere natura ſerio perſuaſuri ſibi fuiſſent. Erunt etiam, quibus tædioſæ erunt tot in deſcribendis plantis minutiæ, quarum ſane quam accuratam rationem habuimus: Culpabunt forte etiam nonnulli, nos in perſequendis plantarum deſcriptionibus iis verbis uſos non eſſe, quibus Botanici eruditiores has illasve plantarum partes inſignire ex artis ſuæ more conſuevere. Sic & alii alia, quæ quidem ipſimet non diffitemur, criminabuntur.

Ut ergo & his & mihi ſatisfaciam ipſi, abſurdum fore non credidi, ſi prima HORTI MALABARICI initia, progreſſum & ſucceſſum à capite ad calcem, quod ajunt, paullo diligentius repetam. Non enim dubito, quin candidi rei herbariæ æſtimatores non ſolum admiraturi ſint, ſed & grato animo accepturi, quod tot exoticas ignotasque plantas luci damus, ex regione & notiſſima & multis frequentata, & quam Luſitani per centum & ſeptuaginta admodum annos coluere, & magnificis urbibus exornavere; mirabuntur, inquam, & grati recolent, has plantas jam primum in theatrum ſpectandas proferri ab eo, qui aliis & majoris momenti rebus occupatus potuiſſet eo labore ſuperſedere. Verumenimvero quia ea eſt ſæculi noſtri & Europæ felicitas, & doctorum copia, ut typographiæ jam videantur commercia, quæ Terrarum orbem innumeris libris replent; hinc quoque orta eſt crambe centies milliesque recocta, qua plerique mutatis nonnullis verbis, ordine parum variato ex charta in papyrum alienos priorum labores exſcribunt, & pro ſuis ambitioſiſſime edunt; unde non mirum, quod plerique eruditiores nihil magni faciant, niſi quod aliqua novitate ſe commendet, cum vetera iis ſint cognitiſſima: Damus ideo hoc noſtro opere amplum exſcriptoribus campum, in quo plantas legere poſſunt, easque generali plantarum indici inſerere, quæ in noſtro orbe huc uſque innotuerunt.

Poſteaquam aliquammultis annis apud Indos fuiſſem, & pro ratione ejus, quam ornabam, ſpartæ ſæpius mihi itinera facienda eſſent per cultiſſimas regiones, obiter mihi notavi ſylvas & amplas & arduas & denſas; notavi eas mira arborum varietate jucundas, ita ut duas ejusdem generis arbores in eadem ſylva reperire difficile quæſituro foret: notavi arbores plerasque cinctas & implicatas aliis plantis, quarum aliæ radice in terram defixa eam fecerant cum arbore, cui implicaban-

tur,

tur, mixturam, ut vix discernere esset: notavi sæpius tales (ut ita generatim loquar) hederas plures & diversi generis arbori uni adhærescere; & præter has succrescere in ipsis arborum ramis, nec non ad caudicis truncum alias atque alias plantas, ita ut spectaculo longe jucundissimo sæpissime in una arbore exhiberentur decem duodecimve diversi generis folia, flores, fructus: neque tamen hæc ullo erant impedimento, quo minus caudices harum arborum essent bene spissi, & largissimæ crassitiei; aut quo minus arbores illæ proceritate eleganti ad LXXX. sæpius pedes [vulgaris mensuræ] capita sua in auras efferrent, circumcirca omnis generis virentibus herbis, ita ut nihil intactum relinqueretur, ornatæ; rami etiam undequaque patuli & umbrosi ascendebant tandem in fastigium amplissimum, & plane mirificum; imo nonnunquam descendebant ac terræ feracissimæ denuo insiti repullulabant ac germinabant. Videres in una ejusmodi arbore magnificum, elegans ac amœnissimum palatium, cujus fornices tot columnis sustinebantur, quot ramos cerneres; atque in tali palatio plurimi latere commode poterant, vitandæ aëris injuriæ caussa, imbrium puta & æstus Solis nimii, atque ita hæ sylvæ potius elegantissimæ structuræ domus, quam inculta nemora videbantur. Neque solum terram feraciorem per plana porrectam sic ornatam animadverti, sed & horridas rupes, & præcipitia montium comata ejuscemodi sylva luxuriare, quin imo sterilissimas etiam petras nihilominus lætissima arborum herbarumque segete superbas, quarum quædam plantæ cacumen obsidebant, quædam rimas fecerant, in quarum fissuram radicem inserebant. Omnis ager, & campus per plana decurrens adeo læta omnis generis plantarum arborumque (quod supra de sylvis dixi) fertilitate ridebat, ut quævis etiam pars curiosa cujusdam Hortulani manu culta, & elegantissima serie digesta videretur. Etiam ipsa stagna, quod mirere, paludes, imo littora fluviorum salsam aquam vehentium ostendebant varias plantas, quibus tantum non plane tegebantur. Quid multis? nulla vel minima soli portio, etsi sterilissimi, erat quæ non aliquas plantas ostentaret.

Hæc quum omnia identidem animadverterem, illa me in eam adduxerunt opinionem, ut non sine ratione existimem, hanc Indiæ partem jure meritoque esse totius Terrarum orbis fertilissimam, & fere maxima ex parte respondentem Insulæ Taprobanæ (quæ *Ceylon* hodie vocatur) inprimis illi portioni, quæ sub eodem, ac Malabaræ regionis, climate est sita.

Sæpius me inceſſit lubido explorandi ac inquirendi harum plantarum folia, flores, cortices, radices; ibique tum plerunque deprehendi illa eſſe odoris ſuaviſſimi, & ſaporis penetrantis; & quum ex indigenis quærerem, qui me in itinere faciendo comitabantur, plantarum harum ſi quid noſſent, illi tum non nomina ſolum indicabant, ſed & vires & uſum earum pulcerrime callebant, id quod obiter ſæpius expertus ſum, ſi ubi quis noſtrorum comitum malo quodam ſive interno, ſive externo laboraret, licet nec Medicinæ, nec Botanices cognitione eſſent prædit, hi Indi, ut qui omnem ætatem terunt ſive militiæ, ſive agro colendo, ſive opificiis.

Injucundum aut abs re fore non arbitror, quoniam mentionem facimus horum Indorum, hujusque regionis, hæc paullo accuratius Lectoribus ſi referamus, quibus operæ pretium fuerit hæc noſtra legiſſe.

Malabarica regio ab uno latere mari cincta, ab urbe Goa ad promontorium Comorinum, in longitudinem circiter centum & viginti milliarium Germanicorum patet, lata hinc inde decem, trigintave plus minus milliaribus. Ipſa regio tanta hominum frequentia colitur, ut videatur nihil eſſe aliud, quam continuæ urbes, pagi, horti. Variis paret principibus quibus ſubjecti ſunt plures quam tres myriades, ſeu, ut liquido conſtat, unum & triginta millena millia nobilium, ſoli militiæ natorum; ut taceam innumerum illum cæterorum hominum numerum. Vivunt ad capularem fere ſenectutem, eorumque valetudini proſpiciunt indigenæ Medici, qui ex aliis regionibus medicamenta non petunt, aut certe quam pauciſſima, illis ſolis, quas ipſorum regio liberaliter ſuppeditat, contenti; quem morem Europæi ibidem locorum feliciſſime imitantur: Belgæ vero qui ibi ſub auſpiciis Societatis Orientalis Indiæ morantur, neſcio qua oſcitantia utuntur medicamentis, quæ primum ex illis locis petita per Perſiam Arabiamque in Europam deferuntur, & hinc denuo mari in Indiam referuntur, fere obſoleta & corrupta, non ſine ſumma ſumtuum jactura, qui huic rei ſine ullo commodo impenduntur.

Hæ ideo & ſimiles rationes me impulerunt, ut votis ſummis expeterem hominem huic rei aptum & idoneum, qui data opera hujus regionis plantas vivide delinearet, easque deſcribendo explicaret, additis viribus earumque uſu: ipſe videlicet mihi perſuadebam, quod ſi hæc res ſucceſſu non fruſtraretur, multis Botanicæ ſtudioſis in Europa placituram; nec minus emolumen-

mentum redundaturum ad Illuſtrem Indiæ Orientalis Societatem, quippe quæ poſſet ſumtibus illis ſuperſedere, quos in medicamenta illuc locorum transportanda impendit: poſſe enim & minori cum ſumtu, & majori cum fructu Indica medicamenta in uſum vocari, aut eadem, aut certe viribus paria, ſi non, ob dictas rationes, ſuperiora.

Sed enim hæc res votis perfici non poterat. Malabaricam namque regionem nemo petit, ut huic rei incumbat, ſed omnes ſub Auſpice Illuſtri Societate Indiæ Orientalis illuc profecti ita coguntur ſui officii accuratam habere rationem, ut nihil illis ſuppeteret otii ad hanc rem, etiamſi vellent, perficiendam: quare hæc me via omnino fefellit hujus tam egregii operis aliquando in actum deducendi. Tandem, quum hujus operis perficiendi ſpem tantum non abjeciſſem, ad aures meas accidit, in ditione Regis Cochinenſis degere Virum quendam, præditum ſumma plantarum Indicarum notitia, quas ad vivum delineaverat. Hic, quem modo dixi, Vir erat ſummæ eruditionis, vitæ auſteræ, ſexagenarius ætate, profeſſione Sacerdos Pontificius ex ordine Carmelitarum Diſcalceatorum, dictus nomine Frater Matthæus de Sancto Joſepho, natione Neapolitanus: hic multos annos in Arabia & Perſia vixerat, & tum temporis miſſus erat Coadjutor futurus Archiepiſcopi Chriſtianorum S. Thomæ regionum Malabaricarum. Arceſſitus reverendus hic Vir ad me venire non dubitavit in urbem Cochinenſem, &, ubi meum ſcopum intellexiſſet, ſcilicet ut fieret recenſio ac deſcriptio plantarum Malabaricarum, in quam rem meam opem pollicebar reverendo huic Patri; ille humaniſſime ac promtiſſime officium ſuum mihi vice verſa detulit, & una oſtendit rudimenta plantarum, quæ antea in ſuæ memoriæ ſubſidium calamo atque atramento delineaverat, ſcilicet cujusvis plantæ unum folium, florem, fructum, quorum maxime notaverat vires, quorumque ope piiſſimus hic ſenex in itinere ſuo tum ſibi, tum aliis quamplurimis opem tulerat.

Itaque prima hujus horti initia fuerunt, ut ex rudimentis plantarum in aliam translatis chartam fieret earum exactior delineatio, curante Rever. Patre Matthæo, qui ſola memoria fretus naturales plantarum figuras mirum in modum ex rudimentis expediebat; ſed enim, quum omnia calamo idque ſuperficie tenus ſignaret, penicilli utique ducendi ignarus, ideo picturæ minus reſpondebant vivis plantis; huc accedebat,

quod partes plantarum minores nequiverint accurate exhiberi; aut ſaltem per transennam, ut ita veras & ſpirantes plantarum figuras minime exin cognoſcere eſſet, præſertim quum in picturis illis calamo factis neque lucis, neque umbræ ratio paullo accuratior habita fuerat. Scilicet opus fore non putarat optimus ſenex, majorem & accuratiorem in pingendis deſcribendisque hiſce plantis operam collocare, quum memoriæ ſuæ ope facile obvias plantas earumque vires ipſe pernôſſet: accedebat præterea, quod hæc in itinere fere confecta eſſent rudimenta, ita ut ſæpiuſcule aut huic plantæ fructus, aut illi flores, aut utrumque aliquando deeſſet; quem tamen ego defectum pro mea virili emendabam, plantas ipſas inquirendo & deſiderata ſupplendo: plures tamen repertæ non ſunt, ſive quia nomina accurate non notaſſet, ſive illa accepiſſet venerandus ſenex ab hominibus, qui communia plantarum nomina, queis unamquamque Malabarici Botanici inſigniunt, neſciebant, ſive quia erant alius climatis plantæ. Hæc fere impedimenta MALABARICI HORTI initia turbabant; inter quæ hoc maximum, quod ſi conferres figuras ipſis plantis, vix dixiſſes, ex iis effigiem eſſe expreſſam, ita male reſpondebat. Quantum ad deſcriptionem, illa ſubinde perfunctoria ac fugitiva diligentia adeo male cohærebat, ut pluribus plantis convenire potuerit, licet diſſimillimis.

His tricis impeditus quum hærerem, ex inſula Ceylonenſi ad Malabaricos acceſſit Cl. V. Paulus Hermannus, M. Doct. cum maxime in Illuſtri Lugduno-Batava Academia deſignatus Botanices Profeſſor; hic quum vidiſſet noſtri Horti initia tot laborare impedimentis, & minus accurata ratione cum deſcriptionum, tum figurarum, modeſtiſſima humanitate nobis ſignificare viſus eſt, hac ratione librum alicujus momenti vix fore. Veruntamen brevitas temporis illius, quo mihi aderat, in culpa fuit, quo minus, aut ego illi mea collectanea Horti Malabarici communicare, aut ille me prudenti conſilio in hoc opere adeo perplexo juvare potuerit. Hæc cum ita ſe haberent, animus tulit, rem omnem denuo ordiri, ac memet ipſe contuli, ad plantas pro mea virili deſcribendas, atque Hortum hunc alio more colendum; ſed vix cœperam, quum animadverti quanto mihi ſit impedimento illud, quod ſuſtinebam, officium; cujus ratio mihi etiam horarum momenta diſpenſabat, ut ita vix Horto colendo pro dignitate vacare potuerim.

Nec

Nec eſt, quod quisquam putet, hæc narrari, ut labores & honeſtiſſimi conatus Rev. Patr. Matthæi eleventur; ſed potius contra. Huic enim Viro honeſtiſſimæ vitæ & non fucatæ pietatis gratias quas poſſumus maximas habemus, qui nos adeo candide, fideliter, & improbo labore juvit. Quin imo in eum finem Optimi hujus Viri mentionem facimus, ut oſtendamus memoriam ejus apud nos eſſe & fore ſemper venerandam, ejus in nos amorem & voluntatem grata recordatione recolendam: hunc, inquam, primum hujus Horti conditorem, & auctorem, nec non in progreſſu ſedulum cultorem ingenue profiteor; hujus tandem conſilio, utpote ſemper Sacro officio, cujus cauſſa illic locorum morabatur, occupatiſſimi, in partem laboris ſollicitavi Virum admodum Reverendum, Johannem Caſearium, V. D. in Eccleſia quæ Chriſto in urbe Cochin colligitur vigilantiſſimum miniſtrum, Virum in omni eruditione, ſolam Botanicen ſi exceperis, verſatiſſimum, cui ſtudio nunquam operam dederat, unde verebatur, ſtylum ſuum, quem propria illa Botanicorum & Medicorum vocabula fugiebant, non fore è dignitate tanti operis. Attamen, multis & gravibus cauſſis perſuaſus in partem oneris ferendi conſenſit.

Ordinem, ut opus hoc ſine tricarum moleſta mora promoveretur, hunc obſervabam. Medici nonnulli, tam Brachmanes quam alius generis, meo juſſu notiſſimarum & celeberrimarum indices plantarum ſuo idiomate conficiebant, ex quibus iterum alii plantas dividebant, pro ratione tempeſtatis, qua vel foliis, vel floribus, vel fructibus ornatæ conſpiciebantur; harum catalogus pro ratione temporum anni certis hominibus dabatur plantarum peritis, quibus curæ illud erat demandatum, ut nobis plantas cum foliis, floribus ac fructibus undecunque demum conquirerent, etiam conſcenſis altiſſimis arborum faſtigiis, hos partibus factis plerunque ternis ad has illasve ſylvas ablegabam. Pictores tres, quatuor, qui mecum habitabant in loco commodo è veſtigio vivas accurate depingebant plantas à conquiſitoribus mox allatas, quibus & me fere præſente deſcriptio addebatur. Præterea omnes Principes Malabaricos humaniſſime rogaveram, ut amice nobiſcum communicarent plantas & forma & uſu celebriores, qua re factum eſt, ut ſubinde quinquaginta ſexagintave leucis plantæ ad nos perlatæ fuerint, & ut nullus Regum illorum Principumque fuerit, qui in noſtro horto aliquos flores non ſeviſſet. Plantæ itaque per Botanicos conquiſitæ, per Pictores depictæ, per ido-

neos homines descriptæ, si quidem operæ erat pretium, examini Medicorum ac Botanicorum peritiorum, quos in eum finem convocaveram, tam ex familiaribus, quam celebritate nominis aliqua notis subjiciebantur. Scilicet huic Collegio, quod nonnunquam quindecim aut sedecim doctis constabat, exhiberi curabam plantarum picturas, ac per interpretem ex illis quæri, num novissent istas plantas, ipsarumque nomina & vires; quæ responsa in Commentarium referebantur. Verum enimvero istud Collegium ex diversis Malabaricæ regionis partibus coierat, unde fiebat, ut, cum alter alterum non novisset, ambitionis, pudoris atque suspicionis stimulo agerentur; gratiam videlicet demereri; si quæ ignorarent, palliare atque tegere; & ne se prostituerent, si mala fide plantis aut majora vero aut minora tribuerent, omni opera conabantur.

Jucundissimum sæpe audivi acroama, hos puta Brachmanes seu Gentiles Philosophos inter se differentes & certantes pondere argumentorum, quæ ex sententiis, regulis, rhythmis ex antiquitate & libris suorum majorum eruditione illustrium depromebant. Disputabant vero, atque unusquisque sententiæ suæ fortissime patrocinabatur, incredibili tamen modestia, quam vel in cultissimis gentium Philosophis desideres, sine ulla acerbitate, animi perturbatione aut neglecto secus sentientium mutuo honore. Piissima reverentia Antiquitatem prosequuntur, & primos artium inventores, his & suas sententias & sua quoque experimenta accepta referunt, ac eorum auctoritati subjiciunt. Et quantum ad Medicinam atque Botanicen spectat, harum doctrina versibus continetur, quorum primus quisque versus plantæ nomine proprio incipit, cujus dein species, propria, accidentia, formas, partes, locum, tempus, vires, usum & alia ejusmodi accuratissime persequitur; atque hoc artificio illud effecere, ut si quis plantæ alicujus proprium nomen proferat, Brachman aliquis extemplo tibi referet, quæcunque de illa dicta sunt dicique possunt. Quamvis autem hic docendi modus, qui memoriam tenacem requirit, difficilior esse videatur, attamen teneræ pueritiæ inter lusus & crepundia hos versus memoriæ, quam tum plus valere ajunt, imprimunt, quos postea animi dociles adolescentiæ & statæ ætatis fidelissime tenent. Prima harum artium (Medicinæ puta & Botanices) inventio adeo antiqua habetur, ut proferant Auctorum libros, quos constantissima asseveratione ante hos quater mille annos vixisse affirmant omnes. Sed enim quia homines hi quam

exer-

exercent artem non libera electionis voluntate, sed nascendi sorte profitentur, quæ unicuique honores, servitutem & Spartam denique, quam hac nascendi lege exornet, necessitate plus quam Stoica dispensat, inde est, quod per continuos ætatum & generum gradus ac successiones parentes liberis quasi de manu in manum tradant, quæcunque ad artis illius, quam nativitatis lex ab ultima temporum memoria huic aut illi generi præscripsit, perfectionem requiruntur: sive inevitabilem & vel adamante fixiorem hanc legem Rex aliquis illorum populo in obsequia paratissimo tulerit; sive mutuus populi hujus consensus eam introduxerit; sive devotissima aliqua sacrorum reverentia, aut oraculorum superstitio divinarumque revelationum,cui hæc gens mirum in modum dedita originem & auctoritatem & per tot sæcula confirmationem huic legi dederit, de quo tamen disputandi nec locus nec animus nobis est. Hoc unum tamen possumus affirmare & experti verissima testari, hanc Legem, quæ ex sorte nascendi vitæ genus cuivis demandat, adeo rigide, adeo stricte, adeo sancte in hanc usque diem observari, ut nemo mortalium quacunque demum vel arte vel audacia etiamsi Herculea mutare hujus legis vel hilum possit; sic ut rustici & piscatores, per omnem annorum seriem & temporum fugam, nunquam alios nisi rusticos & piscatores daturi sint; tali etiam modo se res in opificiis & artibus cæteris habet. Hac autem fatali quasi lege efficitur, ut nunquam artes aut opificia deficiant, ut omnes placidissime ac incredibili tranquillitate vitam innocentissimam transigant, quippe qui pro nascendi sorte altiora non cupiunt, majoribusque non invident, ea tantum re occupati, in quam fatalis illa lex per majorum progeniem posteros eorum devolvit. Atque hinc est, ut in continua illa majorum & consanguineorum disciplina semper magis magisque eruditiores redditi tandem insignem illius, quam profitentur, artis & exquisitissimam notitiam acquirant.

Nec est, quod quis miretur tam antiquitatem horum populorum, quam inconcussam per tot sæcula legum & consuetudinum constantiam & auctoritatem: Si quis vel levi cognitione legum, morum, privilegiorum, & consuetudinum quæ apud illos Sanctissime vigent sit tinctus, fateatur oportet, in hac republica constituenda accuratissimam habitam esse rationem fundamentorum adeo solidissimorum, quæ, ut ita loquar, vel æternam possint reddere & ab omni mutatione securam rempublicam. Theologia namque illorum atque Politia tam

artificioſe ac prudenter conſpirant, adeo provide etiam diſtinguuntur, adeo altera alterius auctoritatem tuetur, ut cui primæ deferri debeant, ambigui res ſit judicii. Theologiæ enim Politia & hæc viciſſim illi amiciſſime reſpondet; ſic eadem lex, quæ maleficos templo arcet, illos quoque & civitatis & cognationis jure, quin imo humanitate atque adeo vita ipſa privat, aut ſi clementius cum iis agatur, libertatem per omnes vitæ annos adimit. Reſpublica eorum harmonia tam arcana mixta eſt, ut ante diu illorum admiſſione opus ſit, quam nôris, ex quo reipublicæ genere ſint. Populus liber tantis gaudet privilegiis, ut videatur eſſe Democratia; è regione tamen populus ipſe tantis ac tot ſervilibus officiis Principes ſuos ſuſpicit, ut vitæ necisque jus ac omnium fortunarum in unum Regem conceſſiſſe putes. Alienæ nationis aut exterorum conjugia non ineunt, & tamen quascunque nationes cujuscunque religionis inter ſe liberrime vivere patiuntur. Patrios fines nunquam egrediuntur, nec tamen peregrinorum itinera moleſte ferunt. Reges illorum nec ſucceſſionis, nec electionis ſolo jure regnant, ſed utroque, tantæ enim majeſtatis faſtigium uni alicui familiæ ac toti generi hæreditaria eſt, ex qua Principes eliguntur, quorum natu maximus Rex eſt. Qui Sacrorum curam habent & religionis, illi & plurimi ſunt, & ſumma tranquillitate vivunt, ampliſſimis beneficiis & ſummis honoribus aucti, queis accedunt devotiſſimi populi donaria, ut jure merito homines illi in toto terrarum orbe beatiſſimi prædicari poſſint. Nobiles quoque ejus regionis frequentiſſimi & numeroſiſſimi ſunt, qui opificiis aut artibus exercendis omnino liberi, ampliſſimis privilegiis & ſumma præ cæteris dignitate excellunt; atque adeo patet huic populo vitæ & morum mutationem nec exſpectandam nec optandam fore. Eadem ratio, quæ perpetuam in hoc populo pacem conſervat, illa & ſeditiones, ſi quæ ſubortæ, in ipſo ortu oppreſſit, ita ut mutationem aliquam rerum ſaltem minari nequiverint. Alieni Imperii bellis intacti, illa quoque non metuunt, hinc ab Occaſu vaſto illo Indico Oceano cincti, illinc ab Ortu prærupto, arduo & immani montium tractu muniti, qui per anguſtiſſimas & difficillimas pylas non niſi pauciſſimos ſimul admittere poteſt, ſi vel ingredi vellent hoſtili animo homines. Neque finitimos verentur, quibus vires ad ſe aggrediendos deeſſe norunt; cum ipſi Malabares è contrario bidui ſpatio plures exercitus incredibili frequentia hominum, unde illorum numerum fidem vix

habi-

habiturum referre non audeo, cogere possint, egregie & apte armatos, ac belli peritia nulli secundos; quorum milites audacia & fortitudine omnes Indos cæteros antecellunt, qui æternam animæ suæ salutem extra omnem dubitationis aleam ponunt, si in bello pro patria, pro aris & focis, pro Lege & Rege occumbant defuncti officio, cui nati erant. Hanc Spartam optime & fortissime Nobiles illi, quos diximus, Malabares ornant: qui, ubi occasio tulerit, viros se patriæ natos fortissime præstant, ac quasi furore quodam correpti tunc in hostem per tela per ignem aguntur, adeo in lethum mens prona Viris; hinc natio hæc nec ulli unquam hosti, nec ulli etiam rerum mutationi ab ultima sæculorum memoria fuit subjecta; unde haud injuria illos antiquissimis Orbis terrarum populis asserere possumus, cum Brachmanum nomen temporibus quoque Alexandri Magni in dignatione fuerit, & Historicorum libris celebratum.

Sed de his jam plus satis, quæ tamen Lectori nostro gratificaturi diximus; abs ratione namque alienum non duximus, quum Hortum hunc Malabaricum oculis tuis subjiceremus, nonnihil præfari, quibus in terris, per quos & quales homines fuerit cultus. Ordine, quem supra dixi, constituto, quo Hortus felicius coleretur, absoluti sunt hi tomi, quos nunc in publicum dedimus, quorum nimirum primus arbores, alter frutices persequitur. In animum equidem induxeram, satius fore Horto huic in Europa edendo tamdiu supersedere, donec colligendis plantis finis esset repertus & factus; at quum una mecum meo animo reputarem, quam inconstantes, fluxæ ac mutabiles essent res humanæ, quam vanus fuisset & in cassum omnis labor iste meus, si forte Deo ita volente vitæ summa brevis spem præcideret longam; neque enim persuadere mihi poteram, successores mihi in tot tantosque labores fore, quos equidem indefessa constantia in hoc Horto colendo exantlaveram: accessit, quod ipse mihi nec moræ tempus, nedum plantarum numerum definiveram, quo Hortus noster esset colendus; itaque pergebam in ejus cultura, dum tempus & occasio ferebat; siquidem plerique, quorum opera poteram uti, Illustri Indiæ Orientalis Societati alter in hoc, alter in illo officio operam suam locaverant, quam ne negligenter exercerent, alienis illis Horti nostri colendi laboribus sæpissime vacare nequibant, unde Hortus subinde cultoribus erat vacuus. Interea tamen temporis ad finem properabat plantarum

descriptio, quæ circa urbem Cochin crescunt, quarum vires ab ultima antiquitate celebres à Medicis indigenis indicabantur. Fuere tamen sæpius plantæ, quarum ut florem aut fructum nancisceremur per integrum annum, imo nonnunquam longiori spatio exspectandum erat, atque hæ plantæ quasi per Satyram annotabantur, ut quæ in iis deficiebant data occasione recte possent suppleri. Nonnunquam, si ubi vel officii ratio, vel prægnantes aliæ caussæ poscerent, omnibus iis, quorum opera in hoc Horto colendo occupabatur, aliisque bene multis comitatus ad hunc illumve Malabaricum Principem meorum Superiorum ergo compellandum, id quod publici boni caussa sæpius necesse erat, aqua in continentem interiorem proficiscebar: Ibi quasi aliud agens dum observarem in itinere fertilissimas sylvas, & campos longe amœnissimos, omnem meum comitatum navi exscendere jubebam, quorum quidam præmii nanciscendi ergo, nonnulli quod ea re impendio delectarer, plures ut animo suo novarum rerum curioso gratificarentur, cæteri, quod operam horto nostro locassent, partibus factis per nemora palabantur, depopulantes omne plantarum genus, illarum præprimis, quas fructu & floribus ornatas videbant. Hæc manus, quæ subinde ducentorum capitum erat, ubi per aliquot horas legerant plantas, hinc illinc undecunque lectis plantis onusti ad naves nostras bellicas, quas Malabares *Mansjous* appellant, revertebantur. Heic prædam excutiebamus lustrabamusque, ac plantas nec dum visas ruditer delineabant pictores, quibus descriptio brevior & rudior accedebat, quæ postea commodiori loco & tempore perficiebantur. In aulis Regum facta re Illustris Societatis Indicæ Orientalis, Principes ea erant curiositate & humanitate, ut per suos homines nobis omnis generis plantas suppeditarent, imo vero ipsimet illi Principes ad nostra tentoria visebant, & summa animi delectatione improbum nostrum laborem & spirantes plantarum picturas conspiciebant, atque hoc modo, qui sæpius accidebat, Hortus noster cultior & plantis indies crescebat: imo haud raro una die plures plantæ ruditer delineabantur, quam quot per menses aliquot pictores atque Clarissimus Casearius digerere possent. Interea dum hac ratione cœptum opus urgeo, caussæ maxime prægnantes me nec-opinum subito Malabarica regione abire jusserunt. Dum enim honestissimis & innocuis hisce deliciis animum pasco, animadverto insidias & cuniculos, per quos me clanculum invidia oppugnabat, insidias,

dias, inquam, quas nunquam vel in horridissima Malabarum solitudine verebar: animo tamen cœptum opus tam in itinere, quam Bataviæ perficiendi continuabam. Sed, ô jacturam gravissimam! dum hæc meditor, ille fidus noster Achates, ille laboris socius, ille Horti hujus rigator Apollo, ille suavissimæ nostræ deliciæ Vir doctissimus & admodum Reverendus Casearius in flore ætatis acerba morte nobis eripitur, ac mortalitatem cum immortalitate commutat. Jacturam tamen hanc nonnihil levabat humanissimus Vir Christianus Hermanni de Donep calamo promtus & Latinæ linguæ satis peritus, qui mecum adversaria illa & collectanea, quoad ejus fieri poterat, digerebat; quam rem summopere juvit, quod pleræque illæ plantæ recenti mea memoria hærerent. Bataviæ plantas quasdam reperi, quarum nonnullæ partes apud Malabares defecerant, has pictorum ope supplebam. Vir autem felicissimæ experientiæ ac doctissimus Guilielmus ten Rhijnen (qui ob excellentem in Medicina peritiam Imperatoris Japonici postulatu ab Illustri Societate Indica Orientali ad Japonas missus est) vires plantarum ac usum, quæ in certis adversariis annotaveram, Latine subjiciebat, ut si gravior casus opus nostrum turbasset, nonnihil saltem ejus superesset; ipse vero totum opus idoneum otium nactus recensiturus, errores correcturus, plurima, quæ adhuc deficiebant, & subinde integras descriptiones suppleturus; infelix enim hoc lolium in Horto nostro succrescebat subito illo nostro à Malabaribus abitu, & præmaturo Cl. Casearii p. m. obitu. Vix recensionem cœperam, quum caussæ plane sonticæ me Indos omnino relinquere urgerent: itaque plantarum picturas denuo depingi, ac descriptiones eousque perfectas describi curabam, quod exemplum Clarissimo Doctori ten Rhijnen reliqui, ut, si vel naufragium, vel jactura iter nostrum turbaret, denuo Horti Malabarici exemplum aliud ad Europæos transmitteret, idque toties repeteret, donec tandem portum opportunum nactæ essent; sed placuit Deo T. O. M. nos iterum salvos & incolumes patriis Laribus reddere. Has in regiones appulsus ac patriæ redditus non sine quadam animi perturbatione primam arborum partem editam conspicio, quippe quæ longe aliter edita, ac ipse editionem adornandam ex Indis transmissam volueram; unico enim tomo arbores secundum sua genera & species divisas contineri placebat: sed Typographus, ut quidem videtur, librum molis amplioris fore quoque nimii pretii putavit, neque sane in-

juria, figuræ namque æri incisæ nativam plantarum magnitudinem & formam exacte referentes, chartæ regiæ & optimæ notæ, nec non literæ magnificæ & nitidissimæ libro pretium faciunt, quod quum plurimi expendere nolint pro libro, qui novas, ignotas & peregrinas plantas, quibus paucissimi etiam delectantur, simpliciter persequitur; hanc ob caussam primam partem in duos tres tomos divisit, unde, quia in isto tomo vel illo arbores pro tomi commoda mole deficiebant, frutices quidam intermixti sunt: præterea vero tot jam figuras æri curaverat Typographus incidi, ut non sine gravissima sumtuum jactura ordo mutari, aut figuræ commodiori loco reservari potuerint; factum hinc est, ut tomus alter pari passu primum insequeretur, ordine inquam perplexo; iste enim tomus, qui fruticibus erat destinatus supplementi ergo & minoris generis herbas recepit. Primus tamen tomus felicior altero fuit, gavisus Commentatione & illustratione & comparatione ad Europæas plantas facta Viri Doctissimi & longe Celeberrimi Arnoldi Syen, Med. Doct. & in illustri Lugduno-Batava Academia Botanices Professoris, Botanici summi & in plantarum experientia plane incomparabilis, cujus eruditissimis curis & cæteras Horti nostri partes relinquere animus ferebat: at, quam vanæ & fluxæ hominum curæ! Botanicorum hic nostra ætate princeps morte longe acerbissima & nobis & Academiæ Lugduno-Batavæ eripitur, quæ Tanti Viri dotes, & indefessos floridæ ætatis doctissimos labores incredibili & tristissimo desiderio luget. Neque ruina hæc sola fuit, traxit etiam Viros optimos & humanissimos Johannem van Someren & Johannem van Dijck, qui Horti edendi curam susceperant, præclare de re Botanica merituri: atque hæ jacturæ gravissimæ Horti nostri lætum incrementum mirum quantum turbarunt. Interim tamen humanissimus Vir Johannes Commelinus, Vir Botanices eruditione nemini secundus, Botanices amore inflammatus alterum tomum elegantissimis notis illustravit, unde tandem aspexit lucem. Tantæ molis erat. Tot discrimina, tot casus, tot sumtus, tot denique labores Hortum hunc exercebant, ut unum impedimentum ex alio natum, ac proximum quodque gradus ac instrumentum esse sequentis videretur: hic accedebant querelæ Typographi sumtuum jacturam verentis; emtores paucissimi, ut opus tantum minimi fieri crederes; ardui illi & perplexi tomi reliqui, qui sub manibus meis adhuc erant, quique idem ac priores fatum habituri vide-

videbantur; hæc, inquam, omnia tædium summum mihi ingerebant, sumtus tantos faciendi, & æris nostri impendendi alienis deliciis. Hortum proin alio plane oculo ac ante intuebar, quem mihi seponebam, ut laborum olim nostrorum meminisse juvaret, parvi facturus aut laudes aut calumnias famæ rumorisque levioris. Atque sic aliquandiu hortus noster placide compositus quiescebat, donec aliquammulti rei Botanicæ bene cupientes quotidianis pene adhortationibus nos obtunderent; rem miserrimam caussantes, tot labores atque alio sub sole natas plantas uni chartæ credere: esse satis multos, qui maximo desiderio reliquos tomos desiderarent. Typographus quoque rursus sopore illo solutus me etiam denuo incitavit, ut secundo me Horto edendo accingerem, atque ejus ordine, quantum fas esset, commodissime digerendo; nam, quod antea monui, illa pars, quæ arbores continebat, me inscio in plures tomos divisa erat, ita ut plane nefas foret opus totum eleganter distinguere; licet enim tertio tomo arbores denuo continuarem, alter tamen tomus, qui fere frutices continet, ordinem turbabat; hinc commodissimum fore judicavi, conjungere illas plantarum species, quæ singulæ per se uni tomo non sufficiebant, sed quidem junctæ; ut ita reliqui tomi non turbarentur. At vero D. Commelinus cum modo minus digestus specierum ordo existeret, ita procedere iniquum censebat; sed arbores ordine exhibere convenientius putabat: atque ideo reliquos tomos ita disposuit, ut minime dubitandum sit, quin hujus studii cultores grato animo accipient. In quibus dum adversaria memoriæ ergo facta digero, exque iis descriptionem concinno, præter opinionem video adeo multa abesse, ut seculo huic delicatissimo satisfacturus alia plane via mihi incedendum fuerit, idque eo magis, quod cavillos censorum & notas experti sint primus & alter tomus à Cl. Casear-io p. m. descripti, unde immerito in sequentibus tomis optimum Virum calumniati fuissent, & Hortum inamœnum reddidissent; hinc ope meorum adversariorum, collectaneorum, annotationum, & experientiæ, quam moræ meæ apud Malabares spatio satis largo nactus eram, quæque recens memoriæ obversabatur, ipsemet ego descriptionem plantarum Belgice concinnabam, neque dubitabam Typographo affuturos homines, qui has descriptiones Latine & commode redderent, id quod ipse Typographus mihi affirmabat. Capto autem translationis experimento eam incommodam & admodum impro-

***** 2 priam

priam deprehendimus; quam remoram dum indico Viro Clarissimo & Doctissimo Johanni Munnicks, Anatomes & Botanices in illustri Academia Ultrajectina Professori ordinario, ut pro singulari suo in Botanicen studio & sparta ea, quam publice ornabat, Hortum hunc tarde succrescentem sua opera juvaret, ac hominem transferendis descriptionibus idoneum inquireret; is non solum humanissime omnem suam operam detulit, sed & omnium descriptionum & quæ eas spectabant curam generose in se suscepit; uti hic, quem Tibi, Benevole Lector, nunc exhibemus tomus tertius, ejus Cl. V. curæ debetur, quem indefesso labore commodo hoc ordine digessit. Atque hæc sunt, Benevole Lector, quæ nobis præfari ac Te scire æquum esse putabamus.

JO-

JOHANNES MUNNICKS
LECTORI BOTANICO
SALUTEM.

NObiliss. ac Generosiss. D. D. Henricus de Reede in Draakestein, Toparcha in Mydrecht, quondam Malabarici Regni Gubernator strenuissimus, *præstantissimorum Regum, ac Magnanimorum Illustriumque Heroum ad exemplar, in ipso etiam armorum strepitu, rerumque politicarum occupationibus distractissimus, studiosè semper excoluit rem herbariam, & stirpium in isto mundi tractu nascentium cognitione cumprimis fuit delectatus. Et sane non mirum: quum enim harum rerum investigatio amœnissima varietate se commendet, nec minus habeat utilitatis quam oblectamenti, non visum est Regum amplitudini, nec Imperatoriæ Majestati indecorum hujusmodi exercitiis detineri; præsertim ubi ab urgentissimis negotiis publicis respirare, atque aliquid sibi otii impetrare licuit. Sic* Salomon Regum amplissimus, *præter immensas opes eam consecutus est a DEO sapientiam, ac rerum naturalium cognitionem, ut nullus Regum illi fuerit comparandus; in herbarum notitia mirificè versatus, exactéque edoctus legitur: ac disseruisse non solum de piscibus, alitibus quadrupedibus, astris; sed de arboribus etiam, & stirpibus a cedro Libani usque ad hyssopum, qui egreditur e pariete,* hoc est, *a minutissima herba ad clarissimas usque arbores, omnia habuisse probè explorata, & penitissimè perspecta.* Cyrum *legimus* Persarum Regem celebratissimum, *plantaria manu suâ instituisse, atque hoc ipsum cum* Lysandro Lacedæmonum Legato *differentem, in aliqua gloriæ & felicitatis suæ parte collocasse.* Attalum *quoque* Pergami Regem *non pretiosissimæ suppellectilis fulgor, non secundæ fortunæ blandimenta adeo detinebant, quin intermissâ aliquando Regni administratione, hortorum colendorum studio plantarumque satu, defessum aut aberrantem animum recolligeret. Romanos olim hæc exercitatio tantoperè tenuit, ut Reges, & Imperiorum fundatores, positis aliis curis, hac unâ potissimum delectarentur.* Scipionem Carthaginis eversorem, Hannibalis atque Antiochi devictorem *palam est, Linterni horto subigendo triumphalem manum adhibuisse: Et tam suavem expertum fuisse hortensem hanc operam* Diocletianum Cæsarem, *ut lactucas & olera differere diademati Imperiali præferret.*

Hisce itaque, aliisque, quorum meminit veneranda antiquitas, exemplis incitatus Nobiliss. D. De Reede, *cum hoc ageret, ut accuratam arborum, fruticum, aliarumque in Malabarica Regione crescentium plantarum daret descriptionem, non ex aliorun relatione, sed propriâ & diligentissimâ inquisitione, atque accurotâ observatione, multis itineribus propterea non sine*

periculo susceptis, primo confusè illas notari & delineari curavit, prout variis locis & temporibus sese offerebant, aut ipsi plerorumque Regni Malabarici Regum, ac Brachmanum, aliorumque Doctorum Malabaricorum auxilio suppeditabantur; deinde illas ordine suo disponere, & ad suas classes redigere cœpit: & Reverendo D. Joanni Casear io verbi Divini Ministro in Cochin *persuasit, ut accuratam omnibus adderet descriptionem, ac integrum aliquando exstrueret* Hortum Malabaricum; *sed morte prævento* Rever. D. Caseario, *duo solum volumina ex ejus editione lucem viderunt, reliqua vero imperfecta remanserunt: quo in casu nos rogati à* Nobiliss. D. de Reede, *ut ipsius,* & Rever. D. Casearii, *tum* Doctoris ten Rhyne, Patrisque Matthæi, ordinis S. Josephi Camelitæ discalceati, *aliorumqe notatis, cæteris stirpium picturis nostras quasque adjungeremus commentationes; sicque reliqua volumina orbi panderemus, ac integrum opus perficeremus: quod sanè, quanquam professorali munere, tum ægrorum visitationibus distracti admodum, denegare nec voluimus, nec potuimus; atque adeo arborum harum imaginibus adornavimus descriptiones, ut decet Botanicum, breves ac succinctas, sequuti* Clusii, Bauhini, Prosperi Alpini, *aliorumqe Botanographorum hac in re vestigia. Quas si non ingratas fore animadverterimus, sique* DEUS *vitam & vires fuerit largitus, integram tandem stirpium Malabaricam historiam perfecturos nos pollicemur. Interim hisce fruere, & vale.*


JO-


JOHANNES COMMELINUS
AD
LECTOREM BENEVOLUM.


NE mireris, *Benevole Lector*, hanc tertiam Horti Malabarici partem, quæ de arboribus agit, ac primam ſequi debebat, poſt ſecundam de fruticibus demum prodire, quam præcedere ordinis gratiâ par eſſet. Cum enim præcedentium voluminum, jam modo impreſſorum, deſcriptionum, ex India huc transmiſſorum compotes eſſemus, in ea hærebamus opinione, omnia ad umbilicum eſſe perducta, & nil amplius reſtare. Sed cum *Nobiliſſ. D. de Reede*, ex India reducem, conveniendi occaſio nobis eſſet, plures arborum, fruticum, ac plantarum imagines commentatione, ac impreſſione indigentes ſupereſſe cognovimus ac omnes ſtirpium picturas ſuo generi debito ordine conjungere neceſſe habuimus; quod pro viribus præſtare fuimus conati. Quapropter ut reliquæ Horti Malabarici partes ordine in lucem prodirent, ab arboribus rurſus exordiri coactos nos fuiſſe patebit. Sed quoniam variæ in tertio hoc tomo exhibentur arbores, quarum ſpecies in primo deſcriptæ ſunt, quasque propterea illic ſequi convenientius fuiſſet, Lectorem in bonam partem id accepturum rogamus;

quod facile impetraturos ſperamus, cum error ibi commiſſus, hic corrigi à nobis nequeat. Interim animadvertas, & intuearis hancce Horti Malabarici partem, in qua miraberis Divinæ bonitatis, cui tot tantisque ſtirpibus, hactenus ignotis, hoc Regnum Malabaricum ornare placuit: quæque nunc exactis imaginibus orbi panduntur, quibus arborum & plantarum exoticarum notitia haud mediocriter promovebitur; Enimvero multos quidem in earum depictione elaboraraſſe, nullos tamen earum genuinas figuras & deſcriptiones protuliſſe, ſed alios ex aliis omnia excerpſiſſe certum eſt, unde tanta orta fuere diſcrimina, præſertim quum propira carerent experientiâ, quæ noſtro collectori minime defuit: ipſe enim omnia obſervavit, & accuratè notari & depingi curavit, ut non imagines ſed ipſa objecta repræſentari videantur; quibus iterum noſtra adjunximus commentaria, quæ Lectori grata fore ſperamus: ſunt namque ocioſi, & à munere publico redundantis temporis labores. Utaris ergo his noſtris laboribus, quos amœno huic operi impendimus; ac ſtirpes haſce Malabaricas adſpicias, ex quibus, omnia hæc mundana magnificentiam Dei referre, haud difficile tibi erit colligere.

PARS



Tab. 1.
Códda-pana. lat.
malab.
Karetála
Bram.
Arab.
Fig. 4
Fig. 3.
Fig. 2.
Fig. 1.



Codda-pana. Lat.
Fig. 1.
Fig. 2.
Tab. 2.


Códda-pana. lat.
Tab. 3.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
f.ra a.
f.ra b.
f.ra c.


Códda-pana. lat.


Tab. 4.





Tab. 5.
Códda-pana. lat.
Fig. 8.
Fig. 7.
lit. a.
Fig. 6.
Fig. 5.
Fig. 4
Fig. 3.
Fig. 2.
Fig. 1.

Códda-pana. Lat.




Codda-pana. lat.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.
Fig. 5.
f.ra a.
f. c.
f. c.
f.ra c.

Códda-panà. lat.




Codda-pana. lat.
Tab. 9.
Fig. 1.
Fig. 2.
Fig. 3.
Fig. 4.



Códda-panà. lat.

Códda-pana. lat.

Fig. 2.






Fig. 1.




Tab. 12.
Fig. 1.
Códda-panà. lat.
Fig. 4.
Fig. 3.
Fig. 2.

PARS TERTIA.

HORTI MALABARICI DE ARBORIBUS.

CODDA-PANNA,

five PALMA MONTANA MALABARICA.

TAB. 1.2.3.4.5.6.7.8. 9. 10. 11. 12.

ARbor hæc *Codda-Panna* Malabarenſibus dicitur, iiſque *Panna* generale nomen eſt, quod cuique Palmæ ſpeciei attribuitur; atque ideo *Palma Indica* etiam *Tenga-Panna* nominatur. Brachmanis autem *Karetela*; Cingalenſibus *Tala-gas*, & *Talagaija*; Luſitanis *Arvore dos Sombreiros* hoc eſt *Arbor Umbroſa* appellatur. Ea autem magnam habet ſimilitudinem cum *Tenga*, *Karin-panna*, & *Ampanna* in parte 1ma deſcriptis; ubi *in comment. ad Fig.* 9. *Doctiſſ. Arnoldus Syen. p. m.* Folium ejus à *Cl. Paulo Hermans* Botanico eximio ex Inſula Zeilan ad ſe miſſum deſcribit pro *Karin-panna*.

Poſtquam vero intra annos triginta quinque aut ſex, ad ſexaginta vel ſeptuaginta pedum altitudinem arbor hæc excrevit, nec interea ullis aut floribus, aut fructibus prolatis, è medio ejus apice novum quaſi caudicem emittit, qui trium quatuorve menſium ſpatio ad triginta circiter pedum menſuram aſſurgit; quo tempore folia plæraque decidunt, & arbor altiſſimo ac lævigato malo plane ſimilis

eſt. Dein novus hic caudex duodecim aut tredecim circiter hebdomadarum decurſu undique longos, rotundos, ac læves ramos, nullis foliis aut ramulis lateralibus ornatos, emittit, quorum inferiores viginti pedum longitudinem obtinent. Atque ex hiſce ramis demum plurimi ramuli prodeunt, qui copioſiſſimis ac exiguis albicantibus floſculis, in faſciculos quaſi collectis, inſtructi intuentibus jucundum exhibent ſpectaculum. His autem floſculis poſt tres quatuorve ſeptimanas decidentibus, exiguæ ſuccedunt baccæ, quæ indies augentur, & ſex circiter menſium ſpatio perfectos ac maturos exhibent fructus; quibus delabentibus novus hic caudex emarceſcit, totaque arbor emoritur. At vero arboris hujus varias partes, & multiformes earum imagines qui cupit intueri, adjectas haſce tabellas perluſtret, ubi *Fig.* 1. arbor oſtenditur novella, cum foliaceis ſuis ramis, quo tempore haud abſimilis eſt *Ampannæ* partis 1^mæ fig. 10. delineatæ. *Fig.* 2. pars folii, in qua laciniæ & diviſuræ exactè apparent. *Fig.* 3. integrum folium iſtius magnitudinis, ut decem pluribuſve hominibus umbraculi loco inſervire queat: quem in finem incolæ extremas folii lacinias conſuunt, ut rotunditatem quandam acquirat, qua facilius ſub ejus tegmine aliquot homines ab imbribus, radiiſque ſolaribus defendi poſſunt.

Tab. 1.

Tab. 2. *Fig.* 1. Arbor in ſummo vigore exhibetur, antequam ullos emiſit ramulos; necnon genuina folii expanſi conſtructio, uti arbori adhæret, latitudine quatuordecim, &, exceptâ ſpinosâ caule, longitudine octodecim pedes ſuperantis. Etenim iſto tempore ſtupendæ magnitudinis obſervantur folia, quæ tamen cum arbor ramos undique emittat, altiuſque excreſcat ſenſim minora proferuntur. Et quoniam arbor hæc, uti *Tenga*, è medio trunci apice novella profert folia, hinc *Fig.* 2. complicatum hujuſmodi folium adeſt, rotundum, viginti pedum longitudinem obtinens, quo cautè reſoluto & explicato integrum ſeſe hic offert folium. *Fig.* 3. exiguum folii ſegmentum explicatum

tum cum nervo intermedio, quo complicari ac iterum resolvi queat: & *Fig.* 4. idem segmentum complicatum, longitudine sex pedes, latitudine vero sex digitos non raro superans.

Fig. 1. Arbor triginta quinque aut sex annorum conspicitur, cum novo suo caudice, seu potius theka, è qua fructus postea emergunt. *Fig.* 2. Fructuum theca aut vagina exactùs delineatur, quæ (uti dictum) ad triginta pedum mensuram è medio trunci apice excrescit: eaque è plurimis constat geniculis, quæ singula obducta sunt viridibus, flexibilibus, ac intrinsecus albicantibus & coriaceis involucris sibi è regione respondentibus; sub quibus aliæ minores latent thecæ seu vaginulæ, ut ex *lit. a. b. c.* & adjuncta *Fig.* 3. facile colligitur. Atque in tali vaginula, quæ longitudine spithamam, & latitudine palmam nondum superat, plusquam viginti millia fructuum occultantur. Tab. 5.

Fig. 1. Vaginula quædam cum involucro suo *lit. a.* majori vagina *Fig.* 2. desumpta habetur, intra quam primordia florum surculi *lit. c.* & *Fig.* 4. separatim depicti, exactè apparent. *Fig.* 3. florum primordiorum ramusculus desumptus e *Fig.* 1; demptis omnibus involucris, in quorum primo *lit. d.* semper apertura *lit. B.* apparet, qua augescente hic florum ramusculus sponte in lucem prodit. At vero theca hæc, cum tenera est, ex foliaceis integumentis, supra se invicem convolutis, atque in apice aperto semper hiatu patentibus, conformatur; cui innumera capsularum germina ordine decussato adhærent. Ita ut *Fig.* 4. e *Fig.* 3. & illa e *Fig.* 1. atque hæc e *Fig.* 2. succedat. Qui vero hujus Tabulæ *Fig.* 1mæ multiformes vicissitudines intueri satagit, tabulas omnes sequentes respiciat necessum est, ubi Tab. 4.

Fig. 3. Theca hæc in latere (ubi floriferus surculus extat) aliquantulum, *Fig.* 4. magis aperta. *Fig.* 5. 6. 7. turiones. *Fig.* 8. tres coles ob oculos, ponuntur. Tab. 5.

Fig. 1. Arbor undique læves, virides ac nitentes ramos Tab. 6.

emittit: at *Fig.* 2. patet quomodo iidem e communi fructuum theca, apertis vaginalibus involucris *lit. a.* & propriis thecis *lit. b.* dehiſcentibus, erumpunt. Inferiores autem hi transverſi rami longitudine viginti pedum menſuram ſuperant, antequam florum ramuſculi in conſpectum prodeunt.

Tab. 7. *Fig.* 2. Lateralis ramus *lit. a.* e theca ſua *lit. B.* emergens, ſuisque ramigeris capſulis geniculatim interſtinctus, atque involucris ſuis (quale ſeparatim *Fig.* 1. delineatur) obreptus exhibetur; quibus ablatis *Fig.* 3. ſcema floriferis fructiferisve ſurculis (*lit. c. c. c.* junctim, & *Fig.* 4 ſeorſim notatis) alternato ordine circumdatum commonſtratur: quæ omnes harum partium viciſſitudines ex vaginula *Fig.* 5. oriuntur.

Tab. 8. *Fig.* 1. Ramus lateralis, e quo floriferi ſurculi *lit. B. B B.* erumpunt; at *Fig.* 2. floriferus ſurculus ſeorſim deſignatur.

Tab. 9. *Fig.* 1. Floriferi ſurculi in ipſa arbore integra. *Fig.* 2. thecæ ſegmentum cum appenſo ſurculo, genuina in magnitudine. *Fig.* 3. ſegregatus ſurculus cum capſæ tegmine. *Fig.* 4. reciſus ſurculi floriferi lateralis ramulus cum floripromis gemmis, viva imagine exprimuntur.

Tab. 10. *Fig.* 1. Floriferus ramus cum lateralibus ramuſculis; florum viz. conceptaculis, retinaculisque, ac fructuum promiſcondis, jucundiſſimum exhibens ſpectaculum. *Fig.* 2. trifidum ramulorum ſegmen cum annexis partim clauſis, partim apertis floſculis (qui *Fig.* 3. cum omnibus ſuis partibus conſtituentibus exactè adumbrantur) repræſentatur. Ita namque poſt ſurculorum floriferorum omnium partium, ramis ac ipſis ſurculis ad majorem longitudinem provectis, flores è gemmis apertis propullulant; iique plures & numeroſi ſurculis adhærent contigui, terni, quaterni, candicantes, tribus foliolis, ſexque ſtaminibus dotati.

Tab. 11. *Fig.* 1. Ipſa arbor foliis privata, at fructuum primordiis ornata. *Fig.* 2. abruptus lateralis ramulus cum fructibus exiguis oſtenditur.

Tab. 12. *Fig.* 1. Ramuli illius lateralis ſegmentum unicum cum adhæ-

hærentibus fructibus naturali magnitudine. *Fig.* 2. ſeparatus fructus cum ſuo putamine. *Fig.* 3. fructus transverſim diſſectus (in quo *lit. a.* cortex cum carne. *lit. b.* nucleus oſſeus. *lit. c.* medullare corculum, quod nunquam induratur, ſed tempore conſumitur, ac cavitatem relinquit, oſtenditur) *Fig.* 4. ipſe nucleus genuinâ ſuâ figurâ exhibetur. Fructus autem hi, qui ſurculis adhærent, exactè ſphærici ſunt, cortice glabro, viridi, carnoſo, ſucculento, aqueo, ſubpingui, ac ſubamaro veſtiti; nucleus vero, qui hoc fructu continetur, ſatis magnus, rotundus, albicans, ac eburneus, carne dura & oſſea infarcitur.

Naſcitur hæc arbor locis montanis & petroſis in Malabar, Provinciis nimirum Mangatti, Tirtsjour, Katour, & pluribus aliis locis. Creſcit quoque in Inſulæ Zeilan Provinciis Menda Corla, Agras, & juxta Bhoudhou-Malec ſeu Adams-pico. Floret indiferenter quocunque anni tempore, quanquam in Auguſto non raro hi floſculi obſerventur, qui intra quatuordecim menſes vix maturos exhibent fructus; quos antequam ferat hæc arbor, plusquam triginta annis indiget, & poſtquam ſemel illos produxerit toto ſuæ vitæ ſpatio, emoritur, atque ex deciduo hujusmodi fructu nova propullulat arbor.

Cæterum arbor hæc in Medicina vix ullum habet uſum: nihilominus tamen ſuccus e ſurculis fructiferis expreſſus vomitum excitando conducit ex morſu ſerpentis vertiginoſis, ac delirantibus. Fructuum theca tenella adhuc ſi diſcindatur liquor exſtillat, qui radiis ſolaribus in ſubſtantiam duriorem condenſatus, ac mulieri gravidæ exhibitus fœtum necat, & potenter expellit. Inſuper folia ædium tectis inſerviunt; nec non pro chartaceis philyris Malabarenſes iis utuntur, adeo ut eorum libri non ex libris, *hoc eſt*, arborum corticibus interioribus ipſi ligno adhærentibus, ſed ex hujus arboris foliis conflentur admodum durabiles, & ſi bene aſſerventur pene perennes; quibus ferreo ſtilo ſuos characteres imprimunt, unde ſuperiore cuticulâ dehiſcen-

hiſcente literæ ſignatæ remanent. E fructibus autem globuli ad armillas, brachialia, moniliaque pro Domicellis tornantur, iique lævigati & rubro colore tincti pro genuino rubro corallo imperitis facile obtruduntur.

TAB. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Inter varias, quæ inveniuntur, Palmæ ſpecies, hæc maxime admiranda eſt, tum ratione ipſius ſtructuræ, tum præcipue In producendis floribus fructibusque, quo nulli arbori poteſt comparari; atque ideo haud immerito arbor per ſe habetur, uti *Ampanna* part. 1. deſcripta: cujus tamen ſpecies eſt, quapropter convenientius in parte 1. poſt *Ampannam* & *Carim-pannam* potuiſſet deſcribi: licet enim harum arborum flores, fructusque inter ſe non conveniant, foliorum tamen ratione merito ſub uno referuntur genere; idque quod ad hypotheſin à *Cl. Rob. Moriſon* de legibus naturæ exhibitam, obiter ibidem proponit *Doctiſſ. Arnold. Syen. p. m.* magis hanc *Coddam-pannam* confirmare puto. Mentionem ejus nullus, quod ſciam, fecit Botanicorum; videtur tamen rudi modo illam delineare *Jacobus van Neck in Itinerario* 1598. Eſtque forſan *Codda-panna* admiranda illa arbor, cujus meminit *Nicolaus Coſtinus in Itinerario ſuo*, quæque à *Caſparo Bauchino in pinace* vocatur *Arbor foliis ſex brachiorum longis, cujus folio extenſo tres quatuorve viri in itinere operiuntur, ut pluvias non metuant.* Nobis vero erit *Palma montana Malabarica; folio magno, complicato, acuto, flore albo racemoſo, fructu rotundo.*

NITI-

NITI-PANNA.

ESt & altera *Coddæ-pannæ* ſpecies, quæ Malabarenſibus *Niti-panna* dicitur Cingalenſibus *Niccol* & *Gin-colla*, Luſitanis *Olas d'agoa;* quaſi *Palmam aquaticam* dicas. Creſcit namque in aquis, & copioſè in fluminibus Teckencour in Malabar.

Radix nigricans, orbiculata, fibrata, amara, graveolens.

Folia, Palmæ foliis, plane ſimilia ſunt.

Hujus arboris icon inter cæteras non reperitur.

Niti-panna Coddæ-pannæ ſpecies haud videtur, quoniam nulla inter eas, niſi foliorum, eſt & ſimilitudo; inſuper nec arbor eſt, ſed potiùs planta aquatica.


Todda-panna. lat.

mal.

bram.



Todda-panna lat.



Tab. 15.

Todda-panna lat.

Fig. 5.




Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 2.






Fig. 1




Fig. 1.
Todda-panna. lat.

Todda-panna. Lat.

Fig. 1.





Fig. 2.




f. A.

Fig. 1

Todda-panna. Lat.




Fig. I.
Todda-panna. lat.
l. B.
Let. C.
F.
E.
D.
L. A.
G L. G.
G

Tab. 20

Todda-panna. Lat.





Fig. 1.
Tab. 21.
Todda-panna lat.

TODDA-PANNA.

TAB. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

TOdda-panna seu *Mouta-panna* Malabarienſibus, *Andexa Motha-panna* Brachmanis, *Soteetſou* Japonenſibus, *Armatoria das Igrezias* seu *Palma d'Igreſia* Luſitanis, in arborem excreſcit juſtæ magnitudinis, quadraginta circiter pedes altam, caudice craſſo uti *Tenga-panna*, qui circularibus & extuberantibus annulis undique circumdatus, & cortice craſſo, cinereo, ſquammoſo, intus purpureo obductus eſt; lignum albicans, molle, cujus matrix flaveſcens.

Cum vero arbor hæc primum e terra erumpit, nullum caudicis fundamentum ſub dio obtinet, ſed *Conus* prodit foliaceis tegminibus coopertus *Tab.* 1. *Fig.* 3. qui cum undique ſeſe aperit, ac novelli foliorum ſurculi, tribus ſemet inſequentibus ordinibus (in inferiore ſedecim, in media novem, in ſuperiore ſerie octo) ex eo prodeunt, pedetentim foliacea illa tegmina ſublevantur, ut qui primo ferme planus erat comi apex, acutius ſenſim, tandemque rotundum acquirat cacumen, uſquedum obtegentia illa foliola tranſitum concedere cogantur folioſis ſurculis *Tab.* 1. *Fig.* 2. qui quo magis adoleſcunt, eo magis explicantur, foliorumque illa operimenta verſus latera diducunt; atque ita folioſi ſurculi majore ſpatio indigentes magis reclinant, & ad latera vergunt, donec tandem ipſam caudicis peripheriam circumveſtiunt, languidis tunc & marceſcentibus

eorum primis tegminibus, quæ dein decidunt, & sui stigmata relinquendo circularibus prominentibusque annulis eam cingunt. Post hæc inter ipsas arboris frondes novus exoritur Conus priori plane similis, è quo novelli alatorum foliorum rami denuo prodeunt; quæ foliorum productio toties renovatur, quoad fructibus enitendis apta fiat arbor: quo tempore Conus in humani capitis magnitudinem augetur, ac undique sese aperiendo plures ramusculos reflexos fructibus ornatos exhibet *Tab.* 4. 6. 7. & simulac aperitur novus ex ejus cavitate emergit foliigerus Conus *Tab.* 5. *Fig.* 1. 2. qui cum denuo augetur, aperitur, ac novellos foliorum ramos undique emittit, ecce novus intus adest fructipromus Conus; quæ foliipromi fructigerique Coni vicissitudines toties fiunt, quousque viget arbor. Contingit quoque nonnunquam, ut ex uno trunco quatuor aut quinque vertices enascantur *Tab.* 8. *Fig.* 2. viz. quum, caudice ad viginti circiter pedum altitudinem aucto, fructipromus conus non unum, sed plures includit novellos Conos, e quibus totidem prodeunt arboris vertices; id tamen raro observatur, & singulis arboribus simplex plerumque adest vertex, uti *Tab.* 8. *Fig.* 1. videre est. At vero ut arboris hujus variæ partes, & multiformes earum vicissitudines rite intelligantur, adjectæ hæ tabellæ ut perlustrentur necesse est, ubi

Tab. 1. *Fig.* 1. Arbor, prout extra terram truncum suum constituere incipit: quoties namque foliorum rami cum foliaceis Coni tegminibus marcescentibus decidunt (quod semel intra annum aut sesquiannum contingit) toties circulari prominentique annulo caudex cingitur, & augetur. *Fig.* 3. idem Conus, qui *Fig.* 1. *lit. A.* in medio consistens alatorum foliorum ramos undique emittit, constans è plurimis oblongo-teretibus, crassis, coriaceis, densaque lanugine vesti-

vestitis foliis; lanugine vero illâ detritâ viridi-fuscis. *Fig.* 2. novelli foliorum surculi, uti primum è Cono aperto prodeunt, exhibentur.

Fig. 1. Foliacei rami, octo pedum mensuram longitudine haud raro superantis, genuina effigies. *Fig.* 2. caulis foliacei rami saturatè viridis, ac in superiore limbo exiguis spinis munitus, naturali magnitudine. *Fig.* 3. unicum folium atrovirescens, superne splendens, inferne nequaquam, viva imagine exprimuntur. Tab. 2.

Fig. 1. Ostenditur, quomodo novelli alatorum foliorum rami ex arboris apice, foliaceis Coni tegminibus undique apertis, prodeunt. *Fig.* 2. 3. 4. iidem novelli foliorum surculi, subrufescente densaque lanugine vestiti, lanuginosâ vero illâ tunicâ manu detrita viridi-fusci, adsunt; quorum lateralia & tenella folia hactenus counita, intorta, & crassa existunt. *Fig.* 5. exactius adumbrantur ea, quæ *Fig.* 1. exhibentur, viz. quomodo ex arboris cacumine *lit. C.* foliaceis Coni tegminibus *lit. B. B. B.* undique apertis, foliorum surculi prodeunt. Tab. 3.

Fructipromus Conus, cui numerosi includuntur fructus, naturali magnitudine repræsentatur, ubi singulis illius partes unitis repagulis obserantur. Tab. 4.

Fig. 1. ejusdem fructipromi Coni discissi interior commonstratur forma, qua insuper exilior Conus, è foliaceis tegminibus (novellorum ramusculorum conceptaculis) conflatus comprehenditur, uti *Fig.* 2. speciatim ostenditur. Tab. 5.

Prædicti Coni majus incrementum refert, ubi linguiformia involucra, veri fructuum loculi, magis extenduntur. Tab. 6.

Fig. 1. Iidem fructus maturi cum expansis suis retinaculis, ac novellis foliorum surculis *lit. B.* nec non foliaceorum te- Tab. 7.

 gminum

gminum abſciſſorum reliquiæ *lit. A.* continentur: Fructus autem cum ſuo putamine *lit. C.* putamen ipſum *lit. D. & E.* nucleus vero transverſim diſſectus *lit. F.* repræſentantur. Suntque hi fructus oblongo-rotundi, prunis majoribus haud abſimiles, quos tegit cortex glaber, viridis, ac nitens, poſtea ſubflavus, & dein rubeſcens, grati dulciſque ſaporis, cui ſubjectus cortex rufus ac lignoſus, nucleum continens candidum, ſapore caſtaneis haud abſimilem.

Tab. 8. Integra habetur arbor, quæ *Fig.* 1. ſimplici cacumine, at *Fig.* 2. quinque apicibus ornata conſpicitur. *Fig.* 3. 4. 5. 6. multiformes hujus arboris in foliis fructibuſque producendis mutationes obſervari poſſunt.

Tab. 9. Adulti caudicis fruſtum cum orbicularibus ſuis extuberantiis (tegminum foliaceorum, atque fructiferorum ramuſculorum veſtigiis) viva imagine ob oculos ponitur.

Hic vero caudex craſſitie ſeſquipedem, altitudine triginta pedes haud raro ſuperans, nonnunquam in ternos, quaternos, quinoſque apices (ut ſupra dictum, & *Tab.* 8. *Fig.* 2. depictum) ſemet divaricat, alias ſimplici cacumine *Tab.* 8. *Fig.* 1. erectus. Singuli autem illi apices unius ferme pedis ſpatio reliquum trunci circularibus & extuberantibus annulis circumdant, qui duos treſve digitos lati, diſtinctis intervallis trium quatuorve digitorum intercapedine ab imo ad ſummum à ſe mutuo diſtant. Ad hæc ubi transverſim diſſecatur hic caudex, guttas expromit pellucidas, quæ radiis ſolaribus in candicans cryſtallinumque gummi inſpiſſantur.

Creſcit hæc arbor locis montanis, petroſis, & arenoſis in Tirſtsjour & Couronuada Provinciis Malabar, nec non in Japoniæ inſulis Roukiou & Lequas: nunc vero conſpicitur id Celſiſſimi Principis Auriaci viridario *Honſelaardijk*, non procul Haga comitis, eo ex India Orientali delata.

In-

Indifferenter quocunque anni tempore viciſſitudines ſuas patitur, & foliipromos fructigeroſque profert conos, atque à quinto ſextove circiter ſationis anno ad centeſimum & ultra frugifera eſt.

Cæterum arboris hujus tanta eſt fertilitas, ut reciſus ejuſdem ramus terræ vel levius commiſſus in novam arborem progerminet; quinimo experimento compertum dicitur, rejectum trunci fruſtum novas radices emittere, & in arborem denuo renaſci; quodque magis adhuc mirandum, ſi vel per annum, vel etiam plures annos è terra evulſa ſervetur ſicca arbor, & poſtea terræ committatur, revireſcere, cujus rei fidem faciunt Japonenſes, qui ob admirandam ejus cum ferro ſympathiam arborem hanc *Sotectſou*, hoc eſt, *à ferro vireſcentem* naucupant: hæc quippe cum ſuis radicibus e terra evulſà, & in aprico loco ſiccata reviviſcit, ubi arena fervida ſcoriis ferri admixta radici ſubſternitur. Etiam prodigii inſtar eſſet, ſi verum foret, quod de hac arbore referunt, viz. ramos à trunco abruptos, claviſque ferreis eidem denuo affixos priſtino virori reddi. Inſuper ubi langueſcit hæc arbor, ramoſque quaſi emortua dimittit, trunco clavos ferreos infigunt, atque ita ad virorem reduci perhibent.

Fructibus autem veſcuntur Malabarenſes cum ſaccharo Thomæo, alioquin alvum relinquunt adſtrictam. Succus e novellis foliorum ſurculis expreſſus, atque exhibitus inteſtinorum cruciatus compeſcit, ſtomachi ardorem ſedat, & vomitui cruento medetur. Fructigerus conus contuſus, & in cataplaſmatis formam redactus, lumbiſque applicatus dolorem nephriticum tollit, & involuntarium ſeminis in Gonorrhæa effluxum mitigat. At vero è fructibus tenerioribus in aqua decoctis medicamentum paratur, quod vomitum ciendo ventriculum egregie expurgat. Ipſius ar-


boris gummi assumptum quibuscunque venenis resistit, atque cum gallinæ stercore mixtum & foris applicatum viperarum morsus mirifice sanat. Ex Arboris trunco Japonenses farinam ex eaque panem conficiunt, *Sagou* ipsis dictum. Denique ii Malabarenses, qui à D. Thoma conversos se profitentur, atque ideo *Thomistæ* vulgo nuncupantur, templa sua diebus festis foliosis hujusmodi ramis exornant, quia non facile exarescunt, atque hanc ob causam arbor hæc *palma d'igresia* seu *armatoria das igrezias* à Lusitanis nuncupatur.

TAB. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Quamquam e fructibus hujus arboris farina conficitur, *zagu* dicta, non tamen *Todda-panna* est *Palmam referens arbor Farinifera.* C. B. neque *Arbor zagu* Amboënsium, quoniam farina quæ *zagu* nomine ubique per Indiam innotescit, non e fructibus, sed e caudice cujusdam arboris fit: *Todda-panna* vero admiranda quædam Palmæ species est, quæ ex Japonia adfertur.


Tab. 22.

Katou-indel. Lat.
കാട്ടീന്തൽ Mal.
Kasouri.
खाजुरी Bra.
[illegible] Arab.



Katou-jndel. lat.




Katou-jndel. Lat.


Katu Indel. lat.

Malab.

Dasuri

Bram.

Arab.



KATOU-INDEL.

TAB. 22. 23. 24. 25.

ARbor hæc Malabarensibus *Katou-indel*, Brachmanis *Kasouri*, Lusitanis *Tamara do Mato*, Belgis *wilde Dadelboom* nuncupatur: Estque mediocris magnitudinis, quatuordecim circiter pedes alta, cortice nullo, sed crustâ cinereâ solummodo obducta, ligno albicanti, præduro arctissimè unitâ.

Rami foliacei è caudice ordine decussato erumpunt, novelli solum è vertice prodeuntes, vetustioribus, qui inferiores sunt, interea decidentibus: sunt autem rami hi virides, glabri, & nitentes, intus plani, extus convexi, nec non inferius spinis oblongis ac rigidis obsiti.

Radix albicans, fibrata, odoris sylvestris, saporis unctuosi.

Folia brevibus petiolis ex adverso ramulis inhærent, numerosa, oblongo-teretia, acuminata, densa, glabra, communi virore nitentia, ad exortum interiora versus clausa, nec non nervulis subtilioribus in longum striata.

Flores, uti etiam in *Tenga* cernitur, rigidis, viridibus, ac coriaceis capsis primo occultantur, e quibus deinde apertis emergunt exigui, plurimi uni pediculo inhærentes, tribus rotundis e viridi-albicantibus foliolis, tribus albicantibus lanuginosis staminulis dotatis, constantes; odor nullus, sapor austerus.

Fructus oblongo-rotundi, exigui, prunellorum sylvestrium adinstar, cuspide duro ac lignoso in vertice dotati, ad basin vero calyce viridi in tres lacinias secto excepti, primum virides, dein rubicundi, maturiores vero rubro-fusci, nigricantes, & nitentes, cortice tenui & fructu facili obducti, ac carne albicante, dulci, farinaceâ referti; intra

quam officulum continetur oblongum, rufum, fulco profundo in longum ftriatum, nucleum continens albicantem & amarum. Hi vero fructus ramis proveniunt viridibus, glabris, & nitentibus, duos ferme cubitos longis, duofque digitos latis, planis, rigidis ac lignofis, nulloque cortice veftitis; quorum tenerioribus abfciffis liquor effluit pellucidus, aufterus. Provenit hæc arbor locis montanis, petrofis, & arenofis ubique in Malabar, imprimis circa Warapouli, & Trevancoor: quovis anni tempore floret, fructufque fert, eftque non raro ad fexagefimum annum frugifera.

Fructus vero hujus arboris, quemadmodum fructus *Faufel* feu *Areeckæ*, cum folio Betel & calce viva a pauperibus manducantur; avidè quoque ab Elephantibus expetuntur ob Palmito, *hoc eft*, medullam fuaviffimam ramulis, quibus fructus adhærent, inclufam. Cæterum folia, fructus, aliæque arboris partes validiffime adftringunt, & fluxus quofcunque potentiffime fiftunt. Infuper e foliis pileos contexunt indigenæ.

TAB. 22. 23. 24. 25.


Hujus palmæ fpeciei nemo, quod fciam, meminit Botanicorum, atque e fylveftrium palmarum genere eft, & referri poteft ad eas, quas defcribit *Pifo hift. nat. & med. Brafil. libr.* 4. *cap.* 11. ubi decem fylveftrium Palmarum proponit fpecies, quæ in Brafilia proveniunt, quapropter hanc vocabimus, *Palmam fylveftrem Malabaricam, folio acuto, fructu pruni facie.*


Tsjàkamaram, aut. Pilau. lat.

Mal.

Ponoſſou पणस् *bram.*

Arab.





Tsjákamaram. aut. Pilau. lat.

malab.

Ponossou bram.

Arab.



TSJAKA-MARAM.

sive *JACA*, *vel* *JAACA.*

TAB. 26. 27. 28.

T*sjaka-maram* & *Pilau* Malabarenſibus, *Ponoſſou* Brachmanis, *Jaqueira* Luſitanis, *Soortſacken* Belgis, Arbor eſt procera, caudice ex albo flaveſcente variegato, craſſo, præduro, multiſque ramis viridi-fuſcis, geniculatis donato, qui cortice craſſo, cinereo, rufo, ac intus croceo obducti, ubi inciduntur lacteum ſuccum ſtillant.

Similiter *Radix* craſſa, cortice craſſo, aqueo, rufo, intus vero ad medullam croceo-rubeſcente tecta, nec non fibris ſuis late per terram diffuſa; ſapor amaricans, odor nullus.

Folia oblongo-rotunda, denſa, glabra, brevibus ac rotundis petiolis ramulis inhærent, ac longitudine ſpithamam ſuperant, ſuperne ſplendent colore ex atro-vireſcente, inferne viridi diluto; coſta media craſſa, & in adverſa parte alte extuberans, e qua nervuli transverſi ſcabri, & ſubaſperi ſuperiora verſus excurrunt, qui in ſe invicem arcuatim deferuntur, atque fundunt diffracti lacteum ſuccum inſipidum ac inodorum

Fructus, *Jaca*, dicti, ramis craſſioribus, nec non ipſi caudici adhærent, & non raro cum imo caudice, cui inhærent, intra terram ſepulti: ramulis autem & ſurculis tenellis non pendent, ſed craſſioribus, cubiti longitudinem ferme æ-

quantibus ac nodulatis. Ipſi vero fructus oblongo-rotundi ſunt, ſeu potius *Coni* ingentes, latitudine ſpithamam, longitudine duas ſpithamas, pondere viginti quinque libras haud raro ſuperantes: cortex namque viridis eſt, craſſus, & ſquammis denſis aculeatis, velut gemmis adamantinis, bullatim exaſperatus, intuſque albicans & lacteus.

Cæterum intus in fructibus hiſce majoribus, innumeri minores fructus intra communem corticem includuntur; ſuntque hi oblongi, carne ſpiſſa, flaveſcente, dulcis gratiſſimique odoris & ſaporis, referti; qui ſinguli in medio unam continent caſtaneam, quæ intra carnem, tanquam ſacculum conſitæ, ac albâ tenui pelliculâ, ceu tunicâ interiore coopertæ ſunt. Hæ autem caſtaneæ oblongæ, & ſacculis incluſæ, cortice tenui, cartilaginoſo, albicante, & transparente tegunt, cui alter rufus ſubjicitur, nucleum continens denſum, albicantem, & lacteum, ejuſdem cum noſtratibus caſtaneis ſaporis. Porro in medio ingentis hujus *Coni* ſtylus columnaris, craſſus, albicans, & lacteus adeſt; cui tanquam communi baſi, fructus minores in orbem locati, inſerti ſunt, una & altera extremitate ipſi cortici è diametro adhærentes; inter quos numeroſa obſervantur ligamenta coriacea, albicantia, & ſubflava, quæ & ſtylo medio, & cortici affixa ſunt; è quibus, (diſſciſſo integro fructu) ut & è ſtylo, & cortice, ſuccus lacteus glutinoſus, therebinthinæ inſtar, exſudat, quo aves capiuntur

Naſcitur hæc arbor ubique in Malabar, & per totam Indiam: ſingulis annis maturos exhibet fructus, menſe viz. Decembri, atque à ſexto circiter ſationis anno ad ſeptuageſimum & ultra fructifera eſt, propagatur autem hunc in modum: integer fructus terræ committitur, omneſque ſur-

ſurculi, quos ſinguli minores fructus, majori huic Cono incluſi, emittunt, ab incolis viminibus colligantur, ita ut in unum excreſcant caudicem. Id vero peculiare hic obſervatur: quæ arbores locis petroſis naſcuntur, craſſiores ſunt, & minus altæ; quæ arenoſis, altiores, ſed minus craſſæ; at radix arboris cum aquis inſiſtat, nullos profert fructus.

Cæterum arboris hujus ultra triginta numerantur ſpecies ratione fructuum diſtinctæ, quæ tamen omnes ad duo referuntur genera; quorum alterius fructus, qui carne ſucculenta, gratiſſimi, mellinique ſaporis turgent, *varaka;* at alterius, qui carne flaccidâ molliori, & minus ſapidâ referti ſunt, *Tsjaka-papa* nuncupantur.

Porro fructus hi maturi corticibus denudati in deliciis comeduntur, at lautius comeſti difficile digeruntur. Ab indigenis fructus teneri in eduliis *Caril* expetuntur, vel muria in *Atsjaar* condiuntur, vel etiam in fruſta conciſi coquuntur, aut in oleo de Palma fricantur. Caſtaneæ aſſatæ dulcis ſaporis ſunt, & inter bellaria ad ſecundæ menſæ delicias habentur; verum avidius comeſtæ fauces pectuſque ardore, ac dein raucedine infeſtant: indigenæ quoque in eduliis *Caril* hiſce utuntur, atque ex iis ſole ſiccatis farinam, ex eaque placentas, *Apas* dictas, conficiunt. Nec non corticula, quæ caſtaneæ pulpam proxime ambit, vicem *Arequa* ſeu *Kanuga* iis præſtat in manducatione Betel. Præterea è fructuum teneriorum cineribus lixivium paratur, quorum lotrices linteamina eluunt. Adhæc arboris lignum operi fabrili inſervit.

Cæterum è radicibus decoctum paratur diarrhæam ſiſtens. E foliorum pulvere Bubali excrementis admixto cataplaſma conficitur, quod calidè maxillis appoſitum ſpaſmo cynico medetur. Lacteus fructuum ſuccus cum pul-

vere calami aromatici tritus, oculiſque illitus Nyctalopiæ conducit. Tritum cum aceto lignum uvulæ relaxationi, & faucium tonſillarumque inflammationi prodeſt. Radix cum fructus pulpa trita, & addito ſaccharo in emplaſtri formam redacta, ac loco dolenti impoſita maligno ac vermiculari herpeti cum vermium nece confert.

TAB. 26. 27. 28.

Errat *Caſparus Bauhinus*, quum *Pin. libr.* 12. *Sect.* 6. Arborem hanc inter Palmarum ſpecies recenſet, & vocat *Palmam fructu aculeato ex arboris trunco prodeunte*: nullam namque cum Palma habet ſimilitudinem. Arborem hanc *Jaacam* deſcribunt *Garcias ab Horto libr.* 2. *cap.* 11. *Acoſta libr.* 3. *Cap.* 39. *Linſchotus*, aliique. *Bontius libr.* 6. *cap.* 31. obſcure arboris hujus facit mentionem, quum fructum ſolummodo deſcribat: Et ſane fructus quem exhibet, non *Jaaca* eſt, ſed Durion *Acoſtæ*, & *Garciæ ab Horto*, quem vocat *Fructum Durionem majorem*, *Jaacam*, adeoque errat cum duas plane diſtinctas arbores, *Durionem* & *Jaacam*, inter ſe confundat. Omnium optimè hanc *Tsjaka-maram* deſcribit *Paludanus comm. in Linſcotum.* Cæterum Fructus hi in Guzaratte *panaz*, in Calecutio *jaceros.* Sinenſis Polo-mie nuncupantur.

ATA-


Atámaram. lat.
Mal.
Atóu आता bram.
Arab.

anona squamosa L. sp. 757

ATAMARAM.

TAB. 29.

ATamaram ob ſimilitudinem, quam fructus ejus habet cum *Jaka*, Malabarenſibus *Manil-jaka* appellatur; Brachmanis *Atoa*, *Manil-panoſou*, & *Jona-jaka*; *Luſitanis Atas*, & *Atocira*.

Arbor eſt mediæ magnitudinis, ad viginti circiter pedum altitudinem aſſurgens, cortice tegitur fungoſo intus rubro. *Lignum* albicans, prædurum, cujus *matrix* viridior eſt, inodora, guſtu ſubamara ac ſubauſtera, paucos diffundit ramos, quorum ut & ramulorum ac virgultorum cortex viridis eſt, cinereis interſtinctus punctulis.

Radix flaveſcens rubido tegitur cortice, graveolens eſt, ſaporis vero unctuoſi, & in plurimas diviſa fibras, quæ tamen per terram non late diffunditur.

Folia oblongo-teretia atque glabra foliis *Malake-tsjambou* in parte prima depictæ haud abſimilia ſunt, ſibi tamen è regione non reſpondentia; parte ſuperiore viridia & nitentia, inferiore vero ſubviridia, manibus confricta unctuoſa, inodora: a pediculo ad apicem folii nervus conſpicuus decurrit, a quo plurimi nervuli oriuntur contortuplicati, qui tandem in apice reüniti terminantur.

Flores ſinguli ſuis pediculis cohærent, foliis ornatis minoribus, quæ poſtea decidunt; foliis conſtant tribus, craſſis, triquetris, coriaceis, intrinſecus albicantibus, extrinſecus vero dilute viridibus, odorem corio uſto æmulum, ſi adoleantur, ſpirantibus.

Cæterum e floris ſtamine *Fructus* emergit, ſeu potius *conus*, qui maturus magnitudinem habet citri vulgaris, exterius viridis ac ſtriatus, interius vero albicans, nec non medullâ ſucculentâ ſaporis grati, odoriſque ſuavis refertus.

In his autem fructibus *ſemina* dura, oblongo-teretia, glabra, nitentia, nec non plana, ac utriculis incluſa, locantur;

eaque ſucculentâ & albicante fructus pulpâ artificiosè obducta cernuntur. At vero fructus ipſi immaturi decarpuntur, qui ſponte per ſe mespilorum inſtar mitigantur, ac comeduntur,

Arbor hæc nullibi, niſi ſobole aut ſeminibus in hortis ſata reperitur. Amat locum calidum & humidum, nec non fimo equino ſubactum, atque rigatione & fervidis ſolaribus radiis gaudet. Et licet fructus hoſce copioſos ubique India ſuppeditet, non tamen Provincia Malabar patrius hujus arboris locus eſt; ſed ex inſulis Philippinis & Manilhas primum à Chinenſibus & Arabibus, & poſtea à Luſitanis in Indiam delata fuit.


Porro poſt primum biennium aut triennium arbor hæc demum frugifera eſt, idque bis in anno; Aprili viz. Majoque, tum Auguſto atque Septembri menſibus, floret, fructuſque fert: flores namque qui menſe Aprili emergunt, Auguſto circiter maturos proferunt fructus. Et quanquam à menſe Aprili ad Octobrem continui fere ſint imbres, nihilominus tamen Auguſtus ut plurimum ab iis immunis eſt, quapropter ab Indis inter menſes æſtivos numeratur, & ob eandem cauſam à Luſitanis *Veranico* appellatur. Flores vero qui menſe Septembri prodeunt, proximo Februario perfectum exhibent conum. Cæterum arbor hæc diu ſuperſtes, & non raro ad quinquageſimum annum & ultra frugifera eſt, modo conveniens adhibeatur cultura.

Folia hujus arboris minutim contuſa, & addito ſale in cataplaſmatis formam redacta, tumoribuſque malignis impoſita, potenter eos maturant. Fructus vero immaturi in aqua communi cum pauxillo Zinziberis decocti, vertigini medentur; at ſufficienter mitigati, & in deliciis comeſti valde refrigerant, alvumque reddunt laxiorem ſi aqua ſuperbibatur.


TAB. 29.

Atamaram ob fructus ſimilitudinem videtur ſpecies *Jaakæ. Recchus de plantis Mexicanis pag.* 348. figuram arboris cujuſdam *Atamaram* perſimilis proponit, quam *Abate de Panucho* vocat, & hiſce verbis breviter deſcribit: *Abate de Panucho vel Ate Pannicenſis, aut Tzypipalis, fructu apud Mexicanos præcellenti arbor nobilis, Folium aurei pomi, Fructus cæruleus, ſed in nigrum tendens, ferro polito ſimilis, rotundus, totus quaſi ex glandulis conſtans, pineæ nucis figura, ramus vero caſtanei, folia juglandis.*

ANO-


Anona-maram. lat.
Tab. 30.
Anona reticulata L.

Anona-maram. lat.



ANONA-MARAM, an ANON OVIEDI.

TAB. 30. 31.

ALtera eſt *Atamaram* ſpecies, quæ Malabarenſibus *Parangi-jaca*, Brachmanis *Tsjina-panoſou*, Luſitanis *Anona* nuncupatur. Eaque præcedenti haud abſimilis eſt, nec proceritate cedit.

Folia tamen anguſtiora magisque acuminata, ac pluribus ornata nervulis, nec non altiori virore nitentia.

Flores à prioribus vix differunt.


Fructus vero licet non, uti *Atamaram*, è compactili lignoſarum ſquammarum ſtrue compoſiti, ſed undique glabro, hyacinthino, ac tenui nitente cortice obducti ſint, nec magnitudine cedant; quoad cætera tamen plane cum iis conveniunt.

Arbor hæc quoque nullibi, niſi ſobole aut ſeminibus in hortis ſata provenit, nec Provincia Malabar natale ejus ſolum conſtituit, ſed è longinquis regionibus prius in eam allata fuit, quapropter haud perperam Malabarenſibus *Parangi-jaca*, hoc eſt, Jaca peregrina appellatur.

Vires cum priori eaſdem habet.

TAB. 30. 31.

Anona-maram quoque *Jaakæ* ſpecies merito habetur ob ſimilitudinem Fructus, eamque *Recchus libr.* 3. *cap.* 60. deſcribere videtur nomine *Quautzapotl* ſeu *Anonæ*, teſtaturque non ſolum in India Orientali, ſed etiam pluribus in locis calidioribus provenire, uti in Inſula Helina, atque in Quaulmacenſi novæ Hiſpaniæ provincia. Et forſan arbor hæc *Anona oviedi* eſt, uti cenſet *Fabius Columna annot. in Recchum*; quæ ſententia confirmatur ſi arboris hujus deſcriptio ex *Oviedi libr.* 8. *Cap.* 18. cum ea *Fabii Columnæ* conferatur, hucque referatur *Guanabano oviedi*, quæ ſpecies eſt *Anonæ-maram*. *Joſephus Acoſta libr.* 4. *Cap.* 25. quoque mentionem facit *Anonæ* ſeu *Guanabano*, quæ huic *Anonæ-maram* perſimilis eſt.


Ansjeli. lat.
mal.
Pala-ponoſsū
bram.
Arab.
Tab. 32.

ANSJELI.

TAB. 32.

ARbor hæc Malabarenſibus *Anſjeli*, Brachmanis *Pata-ponoſſou*, Luſitanis *Angeli*, Belgis *Anjeli* nuncupatur: Eſtque vaſtæ magnitudinis, atque ſedecim menſuram craſſitie non raro ſuperans, multiſque ramis rotundis, geniculatis, hirſutis, ſubaſperis, & ſpadiceïs donata; Lignum ſolidum, prædurum, albicans, intus ſubruſum, craſſo, viridi, ac intus albicante cortice tectum, qui inſuper cinereâ, & auſteri ſaporis cruſtâ ſquammoſa obductus eſt.

Radix craſſa, albicans, fibrata, cortice craſſo candido, cuticulâ rubicundâ & ſquammoſa obducto, tecta, odoris & ſaporis ſylveſtris & ingrati.

Folia brevibus, rotundis, ac hirſutis pedunculis ramorum geniculis ordine decuſſato inhærent, oblongo-rotunda, denſa, glabra, longitudine ſpithamam, latitudine palmam æquantia, ſupernè colore ex atro vireſcente nitentia, infernè viridi dilutiore, nec non brevibus ac lanuginoſis pilis obſita, adeoque aſpera, & manui tangenti adhærentia, nervis aliquot villoſis & ſubaſperis e media coſta in latera excurrentibus. At vero tenella folia e vertice ramorum prodeunt, ſpadiceo-viridi villoſo involucro incluſa, uti & in *Tiliis* cernitur: ipſa vero arbor cum tenerior eſt, in tres lacinias plerumque inciſa ſunt folia.

Florum loco ſupremis ramis *julos* arbor hæc producit virides, intus albicantes, teretes, ac lanuginoſos, longitu-

dine ſpithamam, craſſitie digitum æquantes; iique ſiccati candelarum inſtar a pueris in ludis accenduntur.

Fructus, Angelicæ dicti, rotundis, craſſis, ſpadiceis, ac lanuginoſis pendent petiolis oblongo-rotundi, cortice craſſo, aculeato, ſeu potius echinato, viridi, & dein flaveſcente obducti, fructibus *Daturæ* haud abſimiles, at pugni magnitudinem ſuperantes: intus vero, uti in *jaca* cernitur, alii minores fructus oblongo-rotundi, ac ſulcati intra corticem & medullam occultantur, fabarum aut caſtanearum adinſtar, ſaporis acido-dulcis & vinoſi, odoriſque fragrantis: nec non integro fructu diſſciſſo lacteus ſuccus ſtillat.

Creſcit hæc arbor locis petroſis & arenoſis ubique in Malabar, inprimis in ſylvis Kalicolan: ſingulis annis, menſe viz. Decembri, fructus profert maturos, ac integrum ſeculum frugifera manet. Cæterum exſiccata, calefactaque hujus arboris folia artubus impoſita eorum dolorem ac rigiditatem demulcent: Eadem teſticulorum intumeſcentiam e contuſione vel quavis externa vi ortam, ut & ὑδροκηλὴν καὶ πνευματοκηλὴν diſcutiunt; at in pulverem redacta, & cum unguento albo caphurato forinſecus applicita Bubones venereos curant, vel cum radice curcùma trita, atque indies parti affectæ affricta vi ſua adſtringente vaſorum orificia conſolidando inveteratum hæmorrhoïdum fluxum plane reprimunt. Fructus vero maturi avidius comeſti diarrhæam facile excitant, quam arboris radices & cortices facile ſedant. At oleum e fructibus coctis expreſſum vel intus ſumptum, vel foris applicitum appetitum excitat, ac alimentorum in ventriculo fermentationem juvat: idem cum aſſato & trito allio, nec non coagulato lacte frixum, & podici admotum hæmorrhoïdum dolores potenter ſedat.

Inſuper lignum arboris operi fabrili accomodum, ex eoque ingentes ciſtæ, & naves fabricantur: nec non ex hujuſmodi

modi arboribus excavatis naviculas Indi conficiunt, quas *Mansjous* appellant, quarum nonnullæ longitudine octoginta, latitudine novem pedum menſuram ſuperant, at vero naves ex ligno hujus arboris, quamvis duro, conſtructæ in aquis vermium putredini facile obnoxiæ ſunt, præſertim in fluminum aquis minime ſalſis.

TAB. 32.

Arboris hujus accuratam deſcriptionem nullus Botanicorum tradidit, ejus tamen mentionem facit *Zononius*, eamque *Angelinam arborem* nuncupat, Eſtque forſan *Angelina arbor* B.P. ſed *Angelina arbor Piſonis* nullam cum hac habet ſimilitudinem. *Chriſt Acoſta Cap.* 33. etiam arboris hujus facit mentionem, nullam tamen adjungit deſcriptionem; uti nec *Linſcotus*, qui quidem refert ex hujus arboris trunco continuo in India naves, *Tonas* vocatas, exſtrui; ſed præterea nihil addit.

KA-


Nauclea orientalis.

cadamba

Katou Tsjáka. lat.

Mal.

Arab.



KATOU TSJACA.

TAB. 33.

K*Atou Tsjáka* Malabarenſibus, *Davo ponòſſou* Brachmanis, *Jaqua falſa* Luſitanis, *Morgenſterren* Belgis, Arbor eſt procera, caudice craſſo, præduro, multiſque ramis donato; qui cortice glabro, cinereo, intus viridi, ſaporis odoriſque ſylveſtris obducti, atque medulla intus rufa & molli referti ſunt.

Radix fibrata, albicans, ac fuſco cortice tecta, odoris ſaporiſque ingrati.

Folia geminata brevibus, craſſis, ac rotundis petiolis ordine decuſſato ſurculis geniculatis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, denſa, ſuperne colore ex atro vireſcente nitentia, inferne viridi dilutiore, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus; odor ſylveſtris, ſapor acidiuſculus.

Summis ramis innaſcuntur *globoſa capita*, queis denſa congerie in orbem *Floſculi* flaveſcentes inodori inſident, qui è calyce candido in quinque lacinias ſecto prodeunt, & quinque oblongis, exteriora verſus reflexis conſtant foliolis, totidem in medio rufis ſtaminulis præditi, inter quæ oblongus, ſurrectus, albicans prodit ſtylus. Floſculis vero decidentibus *fructus globoſi* virides ſunt, qui dein rubicundi, tandemque nigricantes & fragiles evadunt; & ſi aſperius tractentur, facile ſolvuntur, ac in plures oblongos, virides, nitentes folliculos ſecedunt; quibus numeroſa, albicantia, exigua, oblonga continentur *ſemina*; ſapor intus aqueus, in cortice vero acidus.

Naſcitur in locis ſylveſtribus Malabar, inprimis circa

Cranganoor; quovis anni tempore floret, fructusque fert, ac diu frugifera manet.

E fructibus vero expressus succus ventris cruciatus mitigat.

TAB. 33.

Arbor hæc nullibi descripta reperitur, & quam *Tijaka* seu *Jaaca* vocatur, nullam tamen cum ea similitudinem habet, adeoque nec ejus species haberi potest.

PELA ſeu GUAJABOR

POMIFERA INDICA BPIN.

Psidium pyriferum L. sp. 672

TAB. 34.

ARbor hæc Malabarenſibus *Pela* & *Pelouka*, Brachmanis *Pera*, Luſitanis *Guajavas* ſeu *Peera*, Noſtratibus ibidem *Goejaves* appellatur. Eſtque juſtæ magnitudinis, viginti circiter pedes alta, caudice recto, præduro, ſesquipedali craſſitudine, multiſque ramis donato, qui cortice glabro, rubrovirente ſaporiſque auſteri obducti ſunt; novellis tamen omnino virentibus, quadrangulis ac undique alatis.

Radix rufo cortice tecta fibris ſuis late per terram diffunditur.

Folia decuſſatim brevibus craſſiſque pediculis ramis ſurculiſque cohærent, craſſa, oblonga, acuminata, & nonnihil criſpa, nervis aliquot ex media coſta in latera excurrentibus, inferne ſcabra ſeu aſpera, ſuperne nequaquam; color ex atro vireſcens, odor gratus, ſapor vero auſterus.

Flores candidi ac inodori, quatuor, quiniſve tenuibus, oblongo-rotundis foliolis conſtant, multis in medio ſtaminulis præditi albicantibus, quæ tamen apicibus ſeu potius nodulis flaveſcentibus eleganter ſunt ornata.

Fructus noſtratibus pyris haud abſimiles, in vertice umbilico præditi lacunoſo, ac tenui & è viridi albicante cortice cincti; maturi gratum ſpirant odorem, maturitatis indicium, carne intus albicante & ſucculenta, dulciſque ac grati ſaporis referti, quæ tamen in immaturis valde dura & adſtringens; intra quam numeroſa ſubrotunda ac prædura obſervantur grana.

Arbor hæc nuſquam ſponte in Malabar naſcitur, ſed facili negotio in hortis alitur. Seminibus ſata tertio anno fructus fert, quos plerumque menſibus Januario & Februario maturos exhibet, manetque frugifera ultra triginta annos.

Ex foliis hujus arboris in aqua coctis Balneum conficitur, quod ſua caliditate ſudores movendo febrem ſanat. Nec non è corticibus radicibuſque decoctum paratur, quod ſubinde aſſumptum viſcerum obſtructiones reſerat, aquas hydropicorum ducit, & icterum tollit. Fructus in aceto vini cocti diarrhæam ac dyſenteriam ſiſtunt: iidemque maturi avide comeduntur, & in bellariis eſſe ſolent, alvumque laxant.

TAB. 34.

Pelam hanc deſcribit *Piſo Hiſt. Nat. & Med. Braſil. libr.* 4. *cap.* 2. nomine *Guajaba*. Eamque *Xalxochotl* ſeu *pomo arenoſo* nuncupat *Recchius rerum Med. Novæ Hiſpan. libr.* 3. *cap.* 51. ubi tres ejus proponit ſpecies. Et refert *Joh. de Laat libr.* 10, *cap.* 3. Guáyavos provenire in Peru, & Quito provincia; adeo ut fructus hi in Indiis cum orientali, tum occidentali abunde proveniant. Eſtque *Pela* hæc *Guájabo pomifera Indica* Caſpari Bauhini Pin. libr. 11. Sect. 6. & *Guáyava Indica fructu mali facie* Joh. Bauhini Hiſt. Plant. Tom. I. libr. 1. cap. 41.

MA-

Psidium pyriferum L.

Pela. lat.

പെര *mal.*

پيرا *Arab.*




Malacka pela. lat.
Mal.
पेर bram.
ملاقا پیرا Arab.

Psidium pomiferum L. sp. 672

MALACKA - PELA.

TAB. 35.

ARbor hæc altera Pelæ ſpecies eſt, ac Malabarenſibus *Malacka - Pela* & *Tsjina - Peloucka*, Brachmanis *Pera*, Luſitanis *Pera de Malacka*, noſtratibus ibidem *Goejaves appel* dicitur. A priori vix differt, niſi foliorum & florum magnitudine.

Fructus autem rotundiores, ac malis potius aſſimilantur, intus carne punicea acidiuſcula præditi. Et quemadmodum prior, ſic etiam hæc nuſquam ſponte provenit in Malabar, ſed exteris è regionibus allata fuit, uti nomen *Malackæ* indicare videtur, quanquam nec Malacka patrius hujus arboris ſinus eſt; at è Moluccanis Inſulis, aut China, aut forſan è Nova Hiſpania prius transferri cæpit.

TAB. 35.

Altera hæc *Guayavos* ſpecies eſt *Xalxocoptl prima Recchi*, & *Araca-Guacu Piſonis*; cum priore ubique creſcit, uti *Recchus* teſtatur.

PELOU seu GUAYABO SYLVESTRE.

TAB. 36.

Pelou & *Katou Pela* Malabarensibus, *Pelouarta* Brachmanis, *Pera Brava* Lusitanis, *wilde Goeyaves* Belgis, Arbor est mediocris magnitudinis, decem aut duodecim pedes alta, caudice mediocriter crasso, multisque ramis in orbem diffusis donato, cortice crasso, lignoso, scabro, furvo, ac intus rubro, obducto; Lignum albicans, densum, ponderosum, insipidum, odoris sylvestris.

Radix itidem albicans, cortice fusco intus rubro tecta.

Folia oblongo-rotunda, crassa, mollia, lanuginosa, in ambitu crenata, crassis, brevibus, albicantibus petiolis ramorum extremis, proveniunt rubicunda; quæ tamen postea superne atro-viridia, inferne subviridia evadunt, longitudine tres, latitudine duas palmas facile superantia, insipida, inodora; à pediculo ad apicem folii costa insignis albicans decurrit, quæ plures undique emittit nervulos.

Flores brevi pediculo extremis surculis multi simul juncti insident, atque è calice viridi quadripartito prodeunt, quatuor crassis, oblongo-teretibus, flaccidis, viridistriatis foliis constantes, numerosis staminulis albicantibus, flavescentibus dotatis apicibus, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ stylus prodit oblongus, albicans: odor gravis ac fœtidus, sapor amarus.

Fructus pyris haud absimiles, ac viridi, glabro, nitente, & duriore cortice cincti, intusque carne densa & albicante referti; intra quam oblongo-rotunda, glabra, rufa, densa, sapore castaneas æmulantia, locantur *semina*: fructus vero immaturi valde duri sunt, fœtidi, saporisque ingrati; & quanquam maturiores saporis subdulcis eva-

dunt, non tamen ob venenatam, qua præditi ſunt, qualitatem comeduntur.

Creſcit arbor hæc ubique in Malabar, inprimis circa Cochin, & Porka; menſibus Mayo & Junio floret, & antiquis decidentibus, novis frondeſcit foliis, fructus vero ſequentibus fert Octobri & Novembri, diuque frugifera manet.

Cæterum arbor hæc in Medicina ob venenoſam qualitatem nullum habet uſum; cortice tamen apri delectantur, quem in finem venatoribus in uſu eſt.

TAB. 36.

Genus hoc *Pelæ* ſeu *Guayavos Sylveſtris*, à nemine hactenus deſcriptum, tertia ejus ſpecies merito haberi poteſt.

CO-


Planchonia sundaica Miq
Careya arborea R

Pelou. lat.
പെഴു Mal.
पेलु bram.
پِيهِرُوْ Arab.



Aegle Marmelos

Covalam. lat.
കൂവളം mal.
Belou bram.
बेल
كوعلام Arab.



COVALAM seu CYDONIA EXOTICA.

CASP. BAUH. in PIN.

TAB. 37.

COvalam Malabarensibus, *Belou* Brachmanis, *Marmelzira* Lusitanis, *Slym-appels* Belgis, Arbor est procera, caudice ex albo flavescente variegato, crasso, præduro, multisque ramis donato; qui cortice crasso lignoso obducti, ac spinis oblongis aculeatis muniti sunt. Rami autem vetustiores spadiceo-fusci; teneriores vero ab una parte virides, ab altera qua radiis exponuntur solaribus, rubicundi, uti & ipsorum spinæ.

Radix fibrata, albicans ac rufo cortice tecta, odoris gravis, saporis dulcis, deinde amariusculi.

Folia terna simul ex eodem pediculo nascentia, oblongo-teretia, in ambitu crenata, communi virore nitentia, suaveolentia, austera, manibus confricta unctuosa; à pediculo ad apicem folii costa insignis decurrit, quæ plures undique emittit nervulos.

Flores suaveolentes sex septemve uni pediculo inhærent, atque è calyce viridi in lacinias secto prodeunt, & quinque oblongo-rotundis, crassis, reflexis, exterius viridibus, interius albo-viridibus constant foliolis, multis in medio subviridibus staminulis, viridibus apicibus dotatis, præditi; inter quæ stilus prodit oblongus, crassus, surrectus, qui ipsius fructus rudimentum est.

Fructus mala rotunda externâ formâ referunt, quos tegit subviridis tenuis cortex, cui subjectus alter prædurus lignosus, & pene osseus, carnem continens viscosam subflavam, humidam, saporis acido-dulcis; intra quam semina plana oblongo alba, gummoso pellucido succo intus turgentia, recondita sunt.

Naſcitur frequenter in Teckenkour, Kalicolan, aliiſque Provinciis Malabar, nec non in Inſula Zeilan. Seminibus ſata ſexto vel ſeptimo demum anno fructus fert, quos tamen ſingulis annis Decembri & Januario menſibus maturos exhibet, ac integrum ſeculum frugifera manet.

Hi autem fructus teneri ſaccharo vel aceto condiuntur; maturiores vero in deliciis comeduntur. Ex arboris cortice & radiculis cum aqua communi decoctum paratur, quod melancholiam hypochondriacam, cordis palpitationem, & lypothymiam ſanat. Ex eodem cortice in ſubtilem pulverem redacto, & melli admixto Electuarium conficitur, quod mane ſumptum alimentorum in ventriculo fermentationem juvat, capitis dolorem ac vertiginem tollit. Foliorum decoctum aſthtmati medetur. Ex floribus aqua deſtillatur cardiaca & alexipharmaca. Fructus denique vix maturi diarrhæam & dyſenteriam ſiſtunt.

TAB. 37.


Covalam ſi non ipſa arbor, quam exhibet *Bontius hiſt. nat. & Med. Indiæ oriental. lib. 6. Cap.* 8. nomine *Mali Cydonei Indici*, ſaltem ſpecies ejus eſt. *Garcias ab Horto aromat. hiſt. lib. 2. Cap.* 14. vocat *cydoniam è Bengala*, additque Luſitanos illam appellare *Marmelos de Bengala*, Bengalenſes *Scrifole* & *Beli*; quæ nomina ſane cum Brachmanico *Belou*, & Luſitanico *Marmeleira* conveniunt. Inſuper *Caſtor Durantes in hortulo ſanitatis fol.* 576. deſcribit *Covalam* nomine *Marmelos de Bengala*. Eſtque hæc arbor *cydonia exotica* Caſpari Bauhini in Pinace.

STA-


Syalita. latin.

Dillenia speciosa

Tab. 38.



Sjalita. lat.



SYALITA.

TAB. 38. 39.

ARbor hæc Malabarenſibus *Syalita*, hoc eſt *Synceritas*, appellatur, Brachmanis *Karinbala-pala*, Luſitanis *Fruita Eſtrelada*, Belgis *Roos-appel*. Eſt autem procera, quadraginta aut quinquaginta pedes alta, caudice admodum craſſo, cortice itidem craſſo munito, qui cuticulâ cinereâ ſquammosâ obductus, intus albicans, aqueus, ac ubi inciditur copioſam aquam adſtringentem exſudans.

Similiter *Radix* craſſa eſt, & tenui rubro-nigricante ſquammoſo, intus vero ad albicantem medullam purpureo cortice tecta, nec non fibris ſuis late per terram diffuſa; ſapor acris, odor nullus.

Folia oblongo rotunda ſingula craſſis, intus cavis ac villoſis ſeu lanuginoſis ſuis petiolis inhærent, longitudine ſpithamam, latitudine palmam ſuperant, ſuperne ſplendent, inferne nequaquam, color ex atro-vireſcens; coſta media craſſa & in adverſa parte alte extuberans, e qua nervi plures ordinatim ferme bini & bini perallelo ductu ad prominentes dentataſque oras exeunt; vetuſtorum odor ut & ſapor ſylveſtris, novellorum acidus.

Inter ipſa autem folia e valido, craſſo, quadrangulo caule *calyx* prodit, qui ad mali aurantii magnitudinem auctus ſeſe aperit, conſtans e quinque cochleato-cavis, viridibus, craſſis, validis, nitentibus foliis, ſeu potius cavis involucris *Florem* continentibus formoſiſſimum & admirandum, itidem e quinque albicantibus, glabris, cavis,

rotundis, coriaceis foliis conflatum, plurimis in medio capillamentis albicantibus, aureis apicibus dotatis, præditum, quæ insuper albicante umbilico stellato, eleganter e viginti angulis formato, superius ornata sunt. Postquam vero flos ita apertus suavissimo ac liliaceo odore septem octove dies elegantiam suam orbi exhibuit, quinque ejus albicantia folia stellatum umbilicum, ut & albicantia capillamenta instar sativæ brassicæ arctissime constringunt; dein crassa cochleato-cava viridia nitentia calycis folia omnes illas floris partes occludunt comprehenduntque, quæ unita singularum, quæ in flore sunt, partium complicatio *Fructum* efformat prægrandi malo similem. At vero floris ut & fructus hujus varias partes, & multiformes earum imagines accuratius qui cupit intueri,
Tab. 1. duas hasce tabellas perlustret, ubi N°. 1. adversa folii pars. 2. petioli, quibus folia inhærent. 3. costa folii media alte extuberans. 4. superior folii pars A. A. A. calycis folia crassa, cochleato-cava, viridia, nitentia. E. E. E. E. E. ipsius floris albicantia cava, rotunda, coriacea folia, acido ac vinoso sapore prædita, quæ quum calycis folia A. A. A. occludunt ac comprehendunt florem, plane mucosa fiunt. G. G. capillamentorum in floris medio congeries. F. F. albicans umbilicus stellatus, quo flos aut fructus in medio ornatus est, exhibentur. N°. 6. idem flos, quum separatis crassis calycis foliis, basis ejus. M. apparet; & D. D. D. quomodo floris capillamenta G. G ipsi basi. M. adhærent. K. L. separata quædam albicantia floris capillamenta. N°. 7. conspicitur floris basin. M. ut & stellatum ejus umbilicum. F. F. ex pluribus albicantibus seminum folliculis inter se junctis conflari, quorum unus I. I. separatim delineatur, quemadmodum. P. exigua albicantia rotunda, quæ continet, semina adumbrantur; & N°. 8. H. H. quo ritu seminales thecæ junguntur, ut floris basin, & stellatum ejus constituant umbilicum. Atque hæ omnes multiformes partes in flore recluso & diducto

ducto levi operâ ſeparantur, quæ tamen in clauſo non tam facile exhiberi queunt. N°. 1. A. A. maliformis fructus perfectus oſtenditur, in quo craſſa cochleato-cava calycis folia, quæ diducta cum flore aperto *Tab.* 1. exprimuntur, tam exacte ſibi mutuo junguntur, ac omnes floris partes ita occludunt, comprehenduntque, ut eorum veſtigia vix diſcerni queant; adulto autem fructu, iiſque demptis candicantia ipſius floris folia plane mucoſa conſpiciuntur: quibus porro detractis floridus exſplendet aſter N. 2. B. B. B. viſcidam in fructu æmulans carnem, ſicuti floris capillamenta albicantia C. C. C. lubricis & mucilaginoſis filis aſſimilari poſſunt. Sublato vero hoc ſtellato vertice inferiores deſignuntur appendices, veræ ſeminum capſulæ N°. 3. D. D. D. in quibus numeroſa latent ſemina tenaci glutine tanquam piſcium ova cohærentia, tabaci ſeminibus haud majora: adeo ut flos & fructus ab ortu ad interitum eaſdem partes, formâ equidem & ſitu, non vero eſſentiâ vel numero, diſcrepantes obtineant. Tab. 2.

Cæterum fructus hi noſtratibus pomis vinoſis fere aſſimilantur odore, ſapore, & pulpa; meditullium tamen paulo aliter hic conformatur: etiam pulpa in fructibus hiſce maturioribus factis moliſſima evadit.

Creſcit hæc arbor in multis locis Malabar, præcipue circa Cochin, & Provincias Moutan; ſemel in anno, Decembri viz. & Januario menſibus, fructus fert, & a ſationis anno circiter quarto ad quinquageſimum & ultra frugifera eſt.

Fructus hi ob nimiam aciditatem in deliciis vix comeduntur; ſed in eduliis, præſertim indigenarum juſculis uſurpantur. Ex arboris foliis lixivium fit, capillorum unctuoſitati, ac capitis ſordibus abſumendis, nec non argento decoquendo, adeoque depurando accomodum. Succus e radicibus expreſſus cum linteis applicatus tumores phlegmonoſos ac œdematoſos reſolvit. E fructibus tenerioribus expreſſus ſuccus cum ſaccharo miſcetur, ac inde

ſyrupus conficitur, qui phlegmata incidit ac expellit, tuſſim ſedat, nec non faucium inflammationem, & aphthas tollit: Fructus autem maturiores laxam reddunt alvum, & diarrhœam non raro excitant. Denique arboris cortex cum oryzæ infuſo (quod indigenæ [a] *Ambatacansja* nuncupant) tritus, partique affectæ illitus arthritidi medetur.

[a] *Ambatacansja* Incolis vocatur illa oryzæ aqua, quæ per noctem ſuper coctam oryzam infuſa fuit.

TAB. 38. 39.

Arbor hæc, a nemine hactenus tradita, non male dici poſſet *Malus roſea Malabarica.*

BLAT-

Sonneratia acid

Tab. 40.

Blatti. lat.

[illegible] mal.

Ambetti, bram.

आवठि

[illegible] Arab.



BLATTI seu JAMBOS SYLVESTRIS.

TAB. 40.

BLatti seu *Katou-Tsjambou*, quasi sylvestris Jambou, Malabarensibus hæc arbor dicitur, Brachmanis *Ambetti*, Lusitanis *Jambou de Mato*, Belgis *Sterre-bollen*: Estque mediocris magnitudinis, quatuordecim circiter pedes alta, crasso cinereo lignoso cortice tecta, uti *Tenga*. lignum albicans, prædurum. Rami ac surculi geniculati, nec non teneriores quadranguli & alati, primum rubicundi, dein spadicei; vetustiores vero alis privati, ac rotundiores.

Radix nigricante cortice tecta, odoris ac saporis sylvestris.

Folia brevibus, planis, purpureis, ac alatis petiolis, ex adverso ut plurimum ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, densa, communi virore nitentia, nervis aliquot ex media costa in latera excurrentibus, longitudine sex, latitudine quatuor ferme pollices superantia; odor nullus, sapor austerus.

Flores inodori ac acidi floribus *Nati-tsjambou* part 1. fig. 18. exhibitæ haud absimiles, sex oblongo-teretibus, acuminatis, tenuibus, purpureis constant foliis, & singuli brevi ac quadrangulo pediculo extremis ramulis prodeunt; nec non lato, profundo, crasso, viridi, in sex lacinias secto, inhærent calyci, qui plurima insuper emittit stamina robusta, eminentia, oblonga, purpurea, rubicundis falcatis apicibus eleganter ornata.

Fructus mala sunt plano-rotunda ac lata, viridi-fusca & nitentia, in vertice stylo oblongo subviridi dotata; ad basin vero calyce plano, lato, crasso, ac viridi excepta, qui

oblongos ſuos cuſpides late extendens, ac exteriora verſus reflectens, ſtellam exactè refert. Cæterum fructus hi, quanquam maturiores, duri ſunt, carne intus albicante & ſucculenta, ſaporiſque valde acidi, referti, intra quam plurima angulata albicantia obſervantur ſemina. Inſuper fructibus hiſce transverſim diſſectis ſeminum folliculi, eleganter in ſpecioſæ arboris formam per carnem diſpoſiti, albicantes ſeſe offerunt, qui tamen ab aëris attactu mox plane nigreſcunt, ac ſi atramenti liquore eſſent imbuti.

Circa Palourti & Tirpoutarë Provincias Malabar, in fluminum ripis, aliiſque locis aquoſis plurimum hæc arbor naſcitur: ſemel in anno, menſe viz. Auguſto, maturos exhibet fructus, & à ſationis anno tertio aut quarto ad vigeſimum circiter frugifera manet. Fructus vero hujus arboris ab indigenis coquuntur, & cum aliis cibis comeduntur: ſuccus autem e fructibus expreſſus, & melli admixtus aphthis medetur, nec non febricitantibus æſtum potenter compeſcit. E foliis contuſis cataplaſma conficitur, quod capiti raſo in febribus continuis impoſitum ſomnum conciliando delirium ſolvit.

TAB. 40.

Arbor hæc Luſitanis *Jambou de Mato*, hoc eſt, *Jambos Sylveſtris* appellatur; eſtque tertia *Jambou* ſpecies, cujus nullus Botanicorum hactenus meminit, quapropter malè hic loci traditur, ſed potuiſſet deſcribi in Parte prima poſt *Nati-Schâmbu* Tab. 18.

PA-

Diospyros embryop

Panitsjika maram. lat.

പനിച്ചി mal.

Tembiri, bram.

टेवीरी

پانيچين Arab.

Diospyros embryopteris. Pers. pharmacog. 403



PANITSJIKA-MARAM.

TAB. 41.

P*Anitsjika* Malabarenſibus, *Tembiri* Brachmanis, *Fruita da grude* Luſitanis, *Lym-appel* Belgis, Arbor eſt procera, altitudine octoginta, craſſitie vero quindecim pedum menſuram non raro ſuperans, multiſque ramis donata; Lignum prædurum, albicans, nigricante auſterique ſaporis cortice obductum.

Radix itidem albicans nigricante cortice tecta, & fibris ſuis late per terram diffuſa.

Folia oblongo-rotunda, glabra, denſa, nitentia, craſſis, brevibus, viridi-flavis petiolis rubicunda proveniunt, quæ tamen poſtea ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia evadunt, odoris & ſaporis ſylveſtris ac ingrati: à pediculo ad apicem folii nervus decurrit conſpicuus, rotundus, viridi-albicans, infernè eminens, è quo plurimi exoriuntur nervuli contortuplicati, exigui.

Flores vel candidi vel albo-flaveſcentes, brevi pediculo extremis ſurculis multi ſimul juncti inſident, atque e calyce viridi-flaveſcente prodeunt: conſtant ii unico folio, ſed in quatuor aut quinque profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur, numeroſis fibris pallidis erectis mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; odor ſuaviſſimus & aromaticus, nec non è longinquo nares feriens.

Fructus, qui etiam plures ſimul floribus ſuccedunt, ac calyce viridi grandiuſculo excipiuntur, exacte rotundi ſunt, & pilarum obtinent magnitudinem, in vertice umbilico

præditi, & cortice primum viridi, dein rubro villoſo ſeu lanuginoſo, tandem vero glabro & cinereo cincti; carne intus albicante, ſubviridi, & aquoſa ſeu potius glutinoſa, ſaporiſque primum valde acidi, dein acido-dulcis, referti, intra quam octo aut decem *ſemina* rubicunda, plana, oblongo-rotunda; *fructuum Cacao* æmula, ac utriculis incluſa, in orbem locantur, eaque glutinosâ fructus pulpâ artificioſe obducta cernuntur. At vero immaturi cum hi fructus ſint humore glutinoſo, gummoſo, & aqueo-pellucido ita abundant, ut cortice pluribus foraminulis pertuſo guttatim exſudet, qui radiis ſolaribus in ſubſtantiam ſpiſſiorem concreſcens, ipſum fructum gummi inſtar oblinit: fructus autem quum indies matureſcunt, viſcoſitas hæc, ut & humor ipſe minuitur, donec tandem modico ac grato ſucco repleti eſui apti evadant. Naſcitur hæc arbor ubique in Malabar; quovis anni tempore fructus fert, quanquam Aprili & Octobri Menſibus ut plurimum floret; atque à ſeptimo circiter ſationis anno ad centeſimum & ultra frugifera eſt. Arboris hujus folia tenella cum aqua trita (quam medicaminis formam plerique Aſiatici pro more habent) ac potui data, vel etiam ſuccus e fructibus tenerioribus expreſſus egregium eſt ad aphthas & linguæ fiſſuras remedium, ſi ore contineatur. Idem ſuccus oculis inſtillatus ophthalmiæ conducit. Arboris cortex in pulverem redactus ac cum oryzæ infuſo, & expreſſo è matura nuce Indica lacteo ſucco mixtus, atque febricitantibus exhibitus æſtum potenter extinguit: inſuper decoctum ex hoc cortice paratur, cui mel admiſcetur, idque aſſumptum ventris tormina ſedat. E ſeminibus oleum exprimitur, quod cum zinzibere & ſemine cumini ſumptum hydropicis ſuccurrit; inſuper alvi cruciatus lenit, eandemque evacuat. Fructus vero maturiores cum incluſis ſeminibus ſeu nucleis

cleis ab indigenis comeduntur. Succus denique glutinoſus, gummoſus, pellucidus, qui è fructibus haud maturis exprimitur, radiis ſolaribus concreſcens ac ruſeſcens, ſeu ex rufo-nigricans, & velut vitreſcens, optimum evadit *gluten*, quo ad quæcunque arctiſſimè conjungenda utuntur incolæ: quemadmodum Judæi & Luſitani in compingendis libris ſolo hoc glutine utuntur, quique ob id teredini nunquam obnoxii ſunt: nec non piſcatores eodem hoc glutinoſo ſucco retia ſua inficiunt, ut durabiliora evadant.

TAB. 41.

Panitsjika-maram deſcribit *Piſo hiſt. nat. & Med. Braſilienſ. lib.* 4. *cap.* 16. nomine *Janipaba. Cluſius Exotic. lib.* 1. *cap.* 10. vocat *Junipapeeywa Braſilianorum*; ſed quoniam exſiccatum fructum ipſi ſolummodo licuit videre, accuratam hujus arboris non addit deſcriptionem. *Genipat Theveti* ſi non *Panitsjika-maram*, ſaltem ſpecies hujus eſt. Inſuper *Joh. Bauhinus lib.* 3. *cap.* 4. & 5. plura hujus arboris genera, è variis auctoribus collecta, proponit.

N I I R V A L A.

T A B. 42.

ARbor hæc Malabarensibus *Niirvala*, Brachmanis *Ranabelou* & *Pretonou*, Lusitanis *Pee do Morto*, Belgis *Bombeenen* appellatur: Estque vastæ magnitudinis, triginta aut quadraginta pedes alta, paucis ramis in orbem diffusis, cortice glabro, cinereo, albicantibus interstincto punctulis, obductis; lignum prædurum, flavescens.

Radix albicans, cortice cinereo tecta, graveolens est, at fere insipida.

Folia terna simul petiolis teretibus, longitudine spithamam æquantibus, proveniunt, oblongo-rotunda, ac in mucronem desinentia, glabra, communi virore nitentia, subacida, manibus confricta suaveolentia; e costa media insigni plures nervuli ordinato ac parallelo ductu exeunt, qui ad oras arcuatim in se invicem incurrunt.

Flores in ramorum extremis, tenuibus, oblongis, glabris, viridibus proveniunt petiolis; iique quatuor oblongo-rotundis, acuminatis, albicantibus, ac striatis constant foliis, quæ totidem intus exiguis, acuminatis, subviridibus foliolis sunt munita, numerosis viridibus ac rubris staminulis, purpureis oblongis apicibus dotatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ viridis prodit stylus oblongus, crassus, surrectus, apice rotundo, saturato-viridi eleganter ornatus, e quo dein fructus emergit: odor suavissimus & vinosus.

Fructus vero viridibus, oblongis, crassis, rotundis, lignosis pendent petiolis, qui articulatim florum junguntur pediculis, uti & hi geniculatim ramulis inhærent; suntque oblongo-rotundi, virides, cortice cinereo tenui obducti; intus carne humida, albicante, quadripartita, odo-


ris ſaporiſque vinoſi, referti; intra qua numeroſa continentur *ſemina* flaveſcentia, prædura, angulata & plana.

Provenit hæc Arbor locis petroſis & arenoſis in Malabar, inprimis circa Provincias Mangatti, & Poiga in fluminum ripis: menſe Aprili folia decidunt, verum ſequente Junio & Julio, dum floret, novis denuo frondeſcit foliis, at Novembri & Decembri Menſibus maturos fert fructus, vixque annos quadraginta frugifera manet.

Foliorum autem ſuccus linteis exceptus, & inguinibus adhibitus urinam ciet: ſimiliter fructus contuſi & cum ſale, comphora, & felis ſtercore in cataplaſmatis formam redacti, & dictis locis applicati eoſdem præſtant effectus. Cortex in aqua maceratus, & cum zinzibere & pipere longo in lacte vaccino & oleo ſeſami ad humidi conſumptionem excoctus, egregium præbet exſiccandis frigidis humoribus linimentum. Semen cum orizæ infuſo coctum, & dein cum butyro recenti contuſum, ac cataplaſmatis formâ abſceſſibus applicatum potenter eos emollit ac maturat.

TAB. 42.

Piſo hiſt. nat. & Med. Braſil. lib. 3. *cap.* 16. arborem deſcribit, quæ Indigenis *Tapia* dicitur, & magnam cum *Nyrvala* habet ſimilitudinem, cum foliorum, tum florum & fructuum ratione, lignum tamen non ita durum, uti *Nyrvalæ*, ſed fungoſum; quod diſcrimen forſan procedit à natali ſolo, ubique eodem modo haud conſtituto, uti non raro in aliis ſtirpibus id contingere obſervamus; quapropter putamus, duas haſce arbores ſi non eaſdem, ſaltem ſpecies eſſe perſimiles.


Tamarà-tonga. lat.
malab.
Carambóla. bram.
Arab.


Tamara-tonga. lat.
Mal.
Carimbola. bram.
कावला
Arab.

TAMARA-TONGA,

SEU

CARAMBOLAS.

Averrhoa Carambola L. Sp. 613

TAB. 43. 44.

ARboris quæ Malabarenſibus *Tamara-tonga*, Brachmanis & Luſitanis *Carambola*, Belgis *Vyf hoeken* appellatur, duæ ſunt ſpecies, quæ inter ſe vix diſtinguuntur, niſi quod altera dulciſſimi plane ſit ſaporis. Non altè, viz. ad duodecim aut quatuordecim circiter pedum altitudinem, excreſcunt. Caudex pedis menſuram in ambitu vix ſuperat, multiſque ramis in orbem diffuſis donatus, cortice ſcabro & fuſco obductus; Lignum albicans, medulla intus albicante & molli refertum.

Similiter *Radix* albicans, nigricante cortice tecta.

Folia ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, mollia, glabra, viridia, ſuperne ſplendentia, inferne nequaquam, nervis aliquot in adverſa parte eminentibus, ex media coſta in latera excurrentibus; odor ſylveſtris, ſapor amaricans & adſtringens.

Flores racematim ipſis ramis inhærent, atque e calyce rubicundo, in quinque lacinias ſecto, prodeunt, quinque tenuibus, oblongo-rotundis, purpureis foliolis conſtantes, quinque in medio albicantibus ſtaminulis, flaveſcentibus apicibus dotatis, præditi; ſapor ſubacidus, odor nullus.

Fructus oblongi, umbilico exiguo, at eminente in ver-

tice prædíti, quinque angulis craſſioribus ſulcati, qui tamen in medio eminentiores ſunt, juxta utrumque caput non tam evidentes; cortice tenui, undique carni arctiſſime adhærente, glabro, nitente, primum viridi, dein flaveſcente cincti; carne primum albicante, dein eâdem flaveſcente, tenerâ, ſucculentâ, ſaporiſque primum acerbi, dein acido-dulcis & ſuavis, intus referti. In pentagono ejus meditullio ſeu volva *Scribonio* dicta, Græcis μήτρα καὶ καρδία, decem latitant *ſemina* oblonga, alterâ parte obtuſa, alterâ acuta, rufa, glabra, membranaceis quibuſdam atque duris pelliculis ſeu parietibus integerrimis, uti in malis, ſejuncta, ita ut gemina in ſingulis latitent cellulis.

Arbor hæc in hortis & pomariis ſata, ubique in Malabar creſcit; ter ſingulis annis flores fert, fructuſque exhibet maturos: ſobole aut ſeminibus ſata a primo triennio ad annum quinguageſimum uſque frugifera eſt.

Succus autem è radicibus hujus arboris expreſſus, & aſſumptus, æſtum febrilem compeſcit. E foliis contuſis cum oryzæ infuſo cataplaſma conficitur, quod tumores quoſcunque potenter emollit & reſolvit; at vero è foliis hiſce in oryzæ infuſo decoctis aut maceratis egregium fit decoctum vulnerarium. Succus è fructibus expreſſus pruritum, impetiginem, pſoram, ſimileſque affectus cutaneos ſanat, ſi linteis parti affectæ ſubinde admoveatur; idemque ſuccus, ſi cum aduſto nucis Indicæ vino (quod vulgo *Araque* dicitur) propinetur, alvi cruciatus lenit & diarrhœam ſiſtit. Inſuper è foliis hiſce contuſis, & cum ſucco è palmæ floribus expreſſo cataplaſma paratur, quod inflammationibus quibuſcunque medetur. E fructibus exſiccatis, & cum foliis Betelæ contuſis pulvis fit, qui


Niirvala. lat.

നീർവാള Mal.

Rána-bélou bram.

रानबेलु

نير والا Arab.



qui cum nucis Indicæ vino adusto propinatus labores parturientium promovet, nec non fœtum mortuum & secundinas expellit.

Adhæc fructus maturi in deliciis comeduntur; immaturi vero saccharo, vel muria & aceto condiuntur. Præterea e fructibus immaturis succus exprimitur, qui in vestes incidens suo acore colores exedit; atque ideo ad maculas quascunque e linteis delendas frequenter usurpatur; colores etiam ad lintea tingenda ex eo parantur; nec non cum fructibus immaturis Aurifabri vasa argentea decoquere & depurare solent.

TAB. 43. 44.

Arboris hujus, ejusdemque fructus mentionem faciunt *Garzias ab Horto lib.* 2. *Cap.* 15 & *Acosta cap.* 47. Similiter *Bontius libr.* 6. *cap.* 11. breviter eam describit, sed imperfectè. Errat *Casparus Bauhinus*, quum Pinacis lib. 11. sect. 6. *Carambolos* vocat *Mala Goënsia fructu octangulari pomi vulgaris magnitudine*; seductus nimirum illis quæ de octangulari horum fructuum figura male refert *Linschotus*. Adhæc arbor hæc in Decan *Camarix* & *Carambeli*, Malaccis *Bolimba*; Persis *Chamarock* nuncupatur.


Tab. 45.
Bilimbi. lat.
ബിലിമ്പി mal.
Malacki-Caramboli, bram.
मलाकिकरंबली
بليمبي Arab.


Bilimbi. lat.
Mal.
Malacki-Carambeli. bram.
मलाकिकरवली
بليمبي Arab.

BILIMBI.

TAB. 45. 46.

BIlimbi Malabarensibus, *Malaki - Karamboli* Brachmanis, *Bilimbinos* Lusitanis, *Blimbynen* Belgis, Arbuscula est humilis, octo aut decem pedes circiter alta, caudice tenui, ramis in orbem diffusis eleganter ornato, qui cortice atro-viridi, primum hirsuto, & spinis tenuissimis subaspero, dein glabro obducti, atque molli & albicante medullâ intus referti sunt; Lignum tamen prædurum, albicans, insipidum, inodorum.

Radix similiter albicans, rufo cortice tecta.

Folia ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-teretia, crassa, mollia, viridia, supernè splendentia, infernè nequaquam, nervis aliquot, in adversa parte eminentibus, ex media costa in latera excurrentibus; odor suavis, sapor subacidus.

Flores non surculis foliaceis, at ipsis ramis, nec non toti caudici inhærent numerosi, & quasi in fascias spithamam longas collecti, atque e calyce rubicundo, in quinque lacinias acuminatas secto, prodeunt, quinque tenuibus oblongo-teretibus, superne colore purpureo, inferne pallidiore nitentibus, reflexis foliis constantes, decem in medio rubicundis staminibus, albicantibus apicibus ornatis, mediam floris cavitatem & albicantem umbilicum occupantibus, quorum quinque elatiora extra florem prominent, quinque vero breviora sunt: odor violaceus, sapor subacidus & gratus.

Fructus, qui etiam plures simul floribus succedunt, fructibus *Tamaræ - tongæ* plane similes, oblongo-rotundi sunt, ovo gallinaceo magnitudine respondentes, quinque angulis crassioribus sulcati; cortice tenui; undique carni arctè adhærente, viridi, glabro, & nitente obducti;

carne primum viridi, dein flaveſcente, tenerâ, ſucculentâ, ſaporis primum acerbi, dein ſubacidi & ſuavis, intus referti, quæ uvarum carni haud abſimilis eſt. In pentagono ejus meditullio *ſemina* latitant oblonga, alterâ parte obtuſa, alterâ acuta, ruſa, glabra, membranaceis quibuſdam pelliculis ſeu parietibus integerrimis ſejuncta, ita ut ſingula in ſingulis latitent cellulis, interdum etiam gemina. Arbor hæc, ſobole aut ſeminibus in hortis ſata, ubique in Malabar naſcitur; per totum annum floret, fructuſque fert, atque à primo ſationis anno ad quinquageſimum, & ultra frugifera eſt.

Singulæ vero hujus arboris partes eaſdem habent vires, eundemque in medicina uſum cum *Tamara-tonga*. Fructus maturi in deliciis quoque comeduntur, immaturi ſacchare, aut aceto & muria condiuntur: Et quanquam maturi ſubacidi, gratique ſint ſaporis; immaturi tamen acerbi, adeo ut ſtupor dentium ex acidorum eſu contractus, hiſce fructibus comeſtis obfuſcetur.

TAB. 45. 46.

Bontius libr. 4. *cap.* 42. hanc *Bilimbi* deſcribit nomine *Billingbing*, atque obſcuram ejus exhibet figuram. *Zononius* quoque hujus arboris meminit, nullam tamen tradit deſcriptionem. Fructus ejus ſimilitudinem quandam habere videtur cum *Carambolas*, cætera vero harum arborum inter ſe minimè conveniunt.

ME-

Cicca disticha L.

Tab. 47.

Neli-pouli. — Lat.

നെല്ലി പുളി — Mal.

Amvalli.

आवाळ — bram.

نِهلّنْ يُوّلي — Arab.



Tab. 48.

(Cicca disticha)

Neli-pouli. lat.



NELI-POULI seu BILIMBI

ALTERA MINOR.

TAB. 47. 48.

ARbusculæ quæ Malabarensibus *Neli-pouli*, Brachmanis *Amvallis*, Lusitanis *Cheramela*, Belgis *Suercnoop* nuncupatur, duæ sunt species plane sibi consimiles, quarum altera quanquam floret, nullos tamen fructus fert, & peculiari nomine *ala-pouli* dicitur. Non alte, viz. ad octo aut decem circiter pedum altitudinem, excrescunt. Caudex albicans, pedis mensuram in ambitu vix superat, multisque surculis foliosis, glabris, viridibus, in orbem diffusis donatus, cortice crasso, furvo, intusque purpureo obductus.

Radix purpurea, cinereo tegitur cortice, ac succum stillat lacteum; sapor acris, odor nullus.

Folia, foliis *Bilimbi* plane similia, ordine parallelo quoque ramulis inhærent, cum quibus dein, novis foliis frondescente arbore, à ramis majoribus decidunt. Similiter *Flosculi* non surculis foliosis, non ipsi caudici, uti in *Bilimbi* cernitur, sed ramis lignosis racematim inhærent, exigui, uvarum flosculis haud absimiles, quatuor aut sex tenuibus, acuminatis, purpureis, atque in stellæ modum expansis, foliolis constantes, octo aut decem in medio albicantibus fibris præditi; odor suavis, sapor subacidus.

Fructus, qui floribus succedunt, ramis lignosis quoque racematim inhærent, plano-rotundi, ceraso nigro majori magnitudine respondentes, sex octove angulis sulcati, glabri, subvirides, nitentes, ac perlucidi, umbilico exiguo & concavo in vertice ornati, nec non carne succulentâ, (prunorum carni haud absimili) subacidi, gratique saporis, intus referti, ac pellicula tenui, undique carni ar-

ctè adhærente, cincti. Intra carnem *ossiculum* continetur, quod *nucleum* includit callosum, oblongum, è sex octove *seminibus*, tenuis cuticulæ ope inter se junctis, constantem, quæ detracta hac pellicula conspiciuntur, oblonga, supernè rotunda, infernè plana. Hi autem fructus subacidi & grati in deliciis comeduntur, & in eduliis usurpantur, nec non saccharo, aut aceto & muriâ condiuntur, vel in furno exsiccati ad varios usus conservantur.

Crescit hæc arbor, sobole aut seminibus in hortis sata, ubique in Malabar & Canana; per totum annum, uti *Bilimbi*, floret, fructusque fert, atque à primo sationis anno ad quinquagesimum usque frugifera est.

Cæterum radix hujus arboris cum semine sinapi & cumini contusa, atque exhibita vomitum ciet, alvumque movet: at vero cum fructu *Tamaræ-tongæ* si usurpetur, nimium alvi fluxum compescit, & dyspnœam sanat. E foliis cum aqua communi Decoctum conficitur, quod sudores movet, ac variolos expellit. Ex iisdem etiam cum croco Malabarico (quem *Manya Coua* indigenæ vocant) in aqua decoctis Balneum fit, quod quibuscunque membrorum doloribus potenter medetur. Ipsi autem fructus summopere refrigerant, atque ideo ad sitim ingentem in febri continua compescendam perquam utiles sunt.

Altera hujus arboris species, quæ vulgo *Ala-pouli* nuncupatur, in Medicina nullum habet usum.


TAB. 47. 48.

Arboris hujus descriptionem nemo hactenus dedit: cum florum, tum fructuum ratione, *Bilimbi* species merito potest haberi, & dici *Bilimbi altera minor*.

PAN-

Tab. 49.


Panja. Lat.
[illegible] Mal.
Sangori.
[illegible] Arab.
संवची bram.



Tab. 50.

Panja. lat.




Panja. Lat. Tab. 51.

PANJA, PANJALA.

Sive ARBOR LANIGERA. BONTI.

TAB. 49. 50. 51.

PAnja Malabarenſibus, *Sangori* Brachmanis, *Algodano* Luſitanis, *Kapock* Malaccis, *Donsboom* Belgis, Arbor eſt procera, quadraginta aut quinquaginta pedes alta, ramis decuſſatim in alios minores diviſis in orbem brachiata; ita ut velut alæ expanſæ videantur, ac (uti in abiete & pino obſervare eſt) ſurſum verſus magis magiſque gracileſcant frondes. Lignum albicans, molle, cortice glabro, atro-viridi variegato, inodoro, ac inſipido obductum.

Radix albicans, cinereo & glabro cortice tecta, fibris ſuis non late per terram diffunditur, ſed profundius ei inhæret; ſapor viſcidus & unctuoſus, odor nullus.

Folia longis, rotundis, glabris, nec non rubicundis petiolis plura ſimul juncta, ac in orbem expanſa inhærent, oblongo-teretia' glabra, denſa, longitudine ſpithamam, latitudine duos circiter pollices æquantia, communi virore nitentia, nervis aliquot in adverſa parte eminentibus ex media coſta, ordinato ac parallelo ductu, in latera excurrentibus.

Flores inodori ac inſipidi, plures ſimul juncti rufis, rotundis ac hirſutis petiolis, ramis lignoſis inhærent, atque è calyce craſſo, viridi, in quinque lacinias ſecto, prodeunt, quinque ſubrotundis, denſis, intus lanuginoſis, extus glabris, nitentibus, & albicantibus foliis conſtantes, quinque in medio teretibus, craſſis, albicantibus ſtaminibus, flaveſcentibus falcatis ac diviſis apicibus eleganter ornatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ ſtylus prodit, flaveſcente globulo dotatus.

Fructus oblongo-rotundi ſunt, quinque angulis leviori-

bus ſulcati, cortice primum viridi, glabro, & nitente, dein rufo, ſcabro, ac duro, obducti; intus in quinque loculamenta, albâ ac nitente lanugine ceu goſſypio referta, diviſi, uti in *Ericou* part. 2. Fig. 31. deſcripta cernitur; intra quam lanuginem, dehiſcente demum fructu, numeroſa obſervantur *ſemina* rotunda, glabra, nigricantia. Hujus vero arboris fructibus maturis pleræque ejus decidunt frondes, quo tempore ſolis fructibus ornata eſt arbor.

Provenit ubique in Malabar; ſemel in anno, viz. Januario & Februario menſibus fructus fert, Martio autem & Aprili denuo frondeſcit & floret, atque ſata ſeminibus quadraginta annos non raro frugifera manet.

At vero fructuum horum lanugo ſeu goſſypium colligitur, ex eoque lectuli & pulvinaria fiunt, quæ ſummam ob mollitiem pluris æſtimantur. Arboris radix ſiccata geſtatur ad ſpaſmum præcavendum. Flores Fructuſque teneriores in cataplaſmatis formam contuſi, ac capiti impoſiti cephalalgiam & vertiginem tollunt.

TAB. 49. 50. 51.

Arborem hanc breviter deſcribere videtur *Bontius lib. 6. cap.* 14. nomine *arboris lanigeræ ſive Goſſampini Plinii*, ſed rubicundos ei tribuit flores, cum *Panjæ* flores candidi ſunt; quapropter ſi non ipſa arbor, ſaltem ſpecies ejus dici poteſt. Et forſan *Panja* eſt *lanifera arbor peregrina Cluſii* Exotic. libr. 1. cap. 14. & *Goſſypium Javanenſe ſalicis folio Caſpari Bauhini* pinacis lib. 11. ſect. 5.

MOUL-



MOUL-ELAVOU

Sive ARBOR LANIGERA SPINOSA.

TAB. 52.

ARbor quæ Malabarensibus *Moul-Elavou*, Brachmanis *Valli-Sanvari*, Lusitanis *Algodano do Mato*, Belgis *Wol-doorn* appellatur, procera est, admiranda, altitudine quinquaginta, crassitie octodecim pedum mensuram haud raro superans, antequam ullos diffundit ramos. Lignum molle, fragile, subrufum, cortice crasso, molli, cinereo, intus rubicundo, ac scabroso cinctum; qui squammis numerosis, rigidis, atris, glabris ac nitentibus spinis insuper dotatis, undique ornatur: hæ autem spinæ acutæ circa caudicis exortum demum decidunt, manent tamen in ramis superioribus, quos omni ex parte obducunt; atque hæc ratio est, quod simiæ nunquam hasce scandant arbores.

Radix crassa, fibrata, albicans, cortice subrufo, flavescente ac nodoso obducta; sapor acerbus, odor nullus.

Folia insipida, inodora, manibus confricta unctuosa, *Panjæ* foliis haud absimilia, longis itidem, rotundis, glabris, nec non viridi-striatis, ac in exortu nodosis, petiolis plura simul juncta, & in orbem expansa inhærent.

Flores suaveolentes, ac magnitudine palmum æquantes, plures simul juncti ramulorum extremis inhærent, atque è calyce crasso, denso, intus subviridi, extus flavescente, prodeunt, quinque oblongis, crassis, densis, undique colore purpureo nitentibus, extus lanuginosis, & reflexis foliis constantes, mucrosis in medio crassis, densis, longis ac rubicundis staminibus, atris falcatis apicibus dotatis, duplici ordine mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ stylus prodit fissus, qui ipsius fructus rudimentum est. Insuper in floris umbilico subcæru-

leus ac pellucidus obſervatur humor, qui dulciſſimi gratiſſimique ſaporis eſt.

Fructus oblongo-rotundi *Panjæ* fructibus plane ſimiles, intus itidem in quinque loculamenta, albâ ac nitente lanugine ceu goſſypio referta, diviſi; intra quam lanuginem, dehiſcente demum fructu, ſimilia obſervantur *Semina* numeroſa, rotunda, glabra, nitentia; non tamen triplici, uti in *Panja*, ſed duplici ordine locata.

Creſcit arbor hæc ubique in Malabar; ſeminibus ſata anno circiter decimo ſexto fructus fert, quos dein ſingulis annis, viz. Februario & Martio menſibus, maturos exhibet, atque ad annum ducenteſimum & ultra frugifera manet.

Inſuper arbor hæc, quum lanuginem hanc in fructu recondit, ad genus earum, quæ goſſypium dant, referenda: atque ex hac lanugine, uti de *Panjæ* fructibus innuimus, lectuli quoque & pulvinaria fiunt. Ex Arboris ligno naviculæ conſtruuntur.

Arboris cortex pulveriſatus, & cum ſucco limonum in linimenti formam redactus inflammationes compeſcit quaſcunque, & oſſium fracturas conſolidat; cum aduſto autem è nuce Indica vino ſi permiſceatur, pro linimento ad herpetem uſurpatur. E radicis vero cortice egregium fit vomitorium. Humor ille dulcis, qui in floris ſinu colligitur, cum *Balam-pulli* aut *Tamarindi* foliis exhibitus, quoscunque aquoſos humores per alvum & veſicam potenter educit.

TAB. 52.


Arbor hæc *Panjæ* ſpecies eſt, ejuſdemque nullus hactenus meminit Botanicorum, adeoque errat *Caſparus Bauhinus*, quum *Pinacis lib.* 11. *ſect.* 5. eam vocat *Goſſypium arboreum caule ſpinoſo*; ſed rectius dici poteſt *arbor lanigera ſpinoſa Malabarica.*

BEL-

Mesua speciosa L

Tab. 53.

Belutta-tsiampakam. Lat.
വെളുത്തചെമ്പകം. Mal.
Naga-tampo.
नागदापो bram.
وِلُطّا چِيامْپَقَّامْ Arab.



BELLUTTA TSJAMPAKAM

Sive CASTANEA ROSEA INDICA.

TAB. 53.

ARbor hæc Malabarenſibus *Bellutta Tsjampakam*, Brachmanis *Nagatampo*, Luſitanis *Moroius Roſado*, Belgis *Caſtanie Rooſen* nuncupatur; Eſtque vaſtæ magnitudinis, caudice ſurvo variegato, craſſo, præduro, glabro, multiſque ramis, *Tiliarum* inſtar, in orbem diffuſis donato, qui cortice obducuntur craſſo, glabro, fulvo, odoris aromatici, ſaporis amari & acerbi.

Radix fibrata, rufa, glabro & flaveſcente cortice tecta; ſapor amarus, odor aromaticus.

Folia brevibus petiolis ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-teretia, glabra, denſa, ſupernè viridia, infernè rore ſubcæruleo (uti in uvis cernitur) obducta, nitentia, nervis aliquot ſubtiliſſimis & viſum penè effugientibus ex media coſta in latera excurrentibus; odor itidem aromaticus, ſapor amarus & acerbus.

Flores formâ & magnitudine roſis ſylveſtribus ſeu Eglentinis perſimiles, calyci quadripartito, exiguo, denſo, viridi inhærent, quatuor candidis, rotundis ac teneris foliis conſtantes, tenuium ac albicantium filamentorum, flaveſcentibus apicibus dotatorum, congerie mediam floris cavitatem & umbilicum occupante: odor ſuavis, roſaceus ac violaceus, ſapor amarus.

Fructus globoſi, quatuor angulis eminentibus ſulcati, in vertice acuminati, per initia cum matureſcere incipiunt glabri, & ſubvirides, maturitatem adepti rufi ac rugoſi, cortice primum craſſo & molli, dein rufo ac duro, caſtanearum cortici perſimili, obducti: intus autem tres quatuor-

tuorve continentur *nuclei* cum formâ & magnitudine, tum ſubſtantiâ & ſapore caſtanearum æmuli. Fructus vero teneriores circa baſin tenax & glutinoſum exſudant *gummi*, cujus odor acris eſt, & aromaticus.

Arbor hæc ubique in Malabar, præcipuè in Provintiis Mangatti, ob florum jucunditatem ſtudioſè colitur, quos Julio & Auguſto menſibus fert; à ſexto ſationis anno quotannis maturos exhibet fructus, atque non raro terna ſecula frugifera manet.

Cæterum radix hujus arboris cum Zinzibere recenti contuſa ſi aſſumatur, ſudores potenter expellit. Similiter arboris cortex cum aſſumptus, tum ſub pulveris formâ vulneri adhibitus, ſerpentum morſibus medetur. Ex foliis in lacte dulci coctis, & addito oleo palmæ contuſis, cataplaſma conficitur, quod vertici impoſitum viſcidos & pituitoſos in cerebro collectos humores incidit, attenuat, & per nares expurgat, adeoque gravedinem & catarrhum ſanat; ipſum vero foliorum decoctum potum phlegmata incidendo, attenuando ac expellendo tuſſim curat. Fructus recentes cum melle cocti alvum emolliunt & laxant; ſiccati autem adſtringunt, ex iiſque oleum exprimitur, quod artubus illitum quoſcunque illorum dolores jucundè tollit.

TAB. 53.

Arboris hujus deſcriptionem nemo hactenus tradidit, habetur, & noſtratibus in India *Caſtanea roſea* appel- ſed fructuum ratione caſtaneæ peregrinæ genus merito latur.

KAPA-

Tab. 54.


Kápa-máva. Lat.

കപ്പമാവ Mal.

Casjú.

काउत्न bra.

کاپاماوه Arab.



KAPA-MAVA

SIVE

ACAJOUS vel ANACARDI alia species B. Pin.

TAB. 54.

K*Apa-mava* seu *Kasjavo-maram* Malabarensibus, *Kasjo* Brachmanis, *Cajous* Lusitanis & Belgis, Arbor est mediocris magnitudinis, caudice crasso, candido, cortice cinereo, intus purpureo, odoris subacidi, saporisque adstringentis, tecto, ac ramis atro-viridibus, eleganter in orbem diffusis, donato.

Radix albicans, cortice furvo, tenuibus filamentis pertexto, obducta.

Folia sine ordine ramis adhærent, oblongo-rotunda, glabra, communi virore splendentia, nervis aliquot infernè eminentibus è costa media densa in latera excurrentibus. Tenella vero hujusmodi folia manibus confricta glutinosa sunt, & fragrantem spirant odorem; vetustiora autem priusquam decidunt, planè rufescunt.

Flosculi suaveolentes, ac melleum odorem spirantes, racematim ramulis extremis inhærent, atque è calyce exiguo, viridi, in quinque lacinias acuminatas secto prodeunt, quinque teretibus, reflexis, primum viridi-flavescentibus, dein rufis, tandemque purpureis constantes foliolis, staminulis quibusdam tenuibus, flavescentibus apicibus ornatis, mediam floris cavitatem occupantibus; inter quæ stylus prodit, qui ex ipsius fructus germine emergit.

Fructus cum figurâ, tum magnitudine pyris noſtratibus haud abſimiles, glabri, ſplendentes, primum rufi, dein virides, tandemque flaveſcentes, carne intus viridi-flaveſcente, fungosâ, & aquosâ referti, ac tenui pelliculâ cincti: odor ſuavis, ſapor vinoſus; acris tamen & auſterus, ſi nondum probè maturi ſint. Hujus vero fructus alteri extremitati *Nux* quædam, figura & magnitudine leporinum renem referens, adnaſcitur, viz. parte altera gibboſa, oppoſitâ lacunam impreſſam habens, quæ cinereo tegitur cortice; & præter hunc corticem alius *Nucleum* complectitur pallidum, ea forma qua & totus eſt fructus, ſucculentum, amygdalæ dulcis ſapore, ſubſtantia molliore: at vero inter duos hoſce cortices, qui culmi fere latitudine invicem abſunt, tophaceis cavernulis coërcetur melligo craſſiuſcula & lenta, ſæpe ceraſorum colore & conſiſtentia, ſapore primum adſtringente, mox inſigni acrimonia linguam & fauces vellicante, ſervata tamen adſtrictione.

Provenit hæc arbor ubique in Malabar; ſingulis annis, viz. Auguſto & Septembri menſibus, maturos fert fructus, manetque frugifera triginta circiter annos.

Cæterum è fructibus hiſce potus exprimitur, qui debito modo fermentatus, vinoſus evadit, & inebrians. Fructus in deliciis, uti Amygdalæ, comeduntur & uſurpantur, ſaporemque non minus gratum habent quam amygdalæ aut caſtaneæ; crudos vero nemo ſecurè ore aperiet, quod continuo cutem abradant, magno dolore eorum, qui ignari temerè eos reſecant: ideo cultro aperiuntur, aut, uti caſtaneæ, ſub cineribus aſſantur, ut manducari poſſint. Guttur autem peculiari natura cùm deglutiuntur ſtringunt, guſtu acri & auſtero; ideoque in orbes ſcinduntur, adjuncta aqua ſeu vino, ſaleque injecto, quibus modis acrimonia illa mitigatur, palato ita gratiſſimi. Hiſce

quo-

quoque nucleis leviter tostis incolæ vescuntur ad Venerem stimulandam. Ex melligine quam gemini cortices continent, copiosum indigenæ eliciunt oleum, quod pictoribus, ad linteamina quævis indelebili nigricante colore pingenda, in usu est; eodemque oleo si lignum ungatur contra putredinem præservatur, adeoque durabilius redditur. Insuper acri illo oleo nihil præstantius esse ferunt ad lichenes & impetigines tollendas, eodemque incolæ adversus scabiem, & vermes necandos utuntur, extrinsecus illito. Denique nuclei hi comesti ventriculum roborant, alimentorum fermentationem juvant, nec non vomitum & nauseam tollunt. Succus vero è fructibus hisce expressus Diarrhœam sistit, & Diabetem sanat.

TAB. 54.

Arbor hæc à variis describitur auctoribus, at imperfectè. *Piso* tamen *hist. nat. & med. Brasil. lib.* 4. *cap.* 6. & *Mantiss. aromat. cap.* 16. accuratam hujus arboris ejusdemque fructus exhibet descriptionem, additque eam in multis Brasiliæ locis provenire, & indigenis *Acajaiba*, fructum vero *Acaju* dici. Estque *anacardi alia species Caspari Bauhini.* Adhæc *Rochefortius* ejus mentionem facit nomine *Acajou*, hujusque tria proponit genera, quorum unum fructus fert *Cajou* nomine vulgo notos.


Itti-arealou. Lat.

ഇത്തി ആല *Mal.*

Dou-adeké-góli.

अडकेओळी *bram.*

يطحب علغ *Arab.*



ITTI-AREALOU.

TAB. 55.

ITti-arealou Malabarensibus, *Douadeke-goli* Brachmanis, *Arbore da Raijs menor* Lusitanis, *Cleyn Wortel vyge* Belgis, in proceram excrescit arborem; cujus *Radix* fibrata, albicans, nigricante cortice tecta, qui ubi inciditur lacteum succum stillat.

Caudex, haud secus atque in *Itti-alou* part. 1. Tab. 26. & *Peera-lou* Tab. 28. descriptis, observatur, plurimos undique diffundit ramos, qui (postquam annos quadraginta aut quinquaginta vixit arbor) tenues quasdam, easque singulares fibras seu filamenta, rufi ac cerei coloris, deorsum mittunt, quibus, ubi terram attingunt, firmantur, novamque quasi prolem generant, & velut in novos arborum caudices transeunt, qui rursus summâ sui parte novos ramos in latera spargentes, novis denuo fibris deorsum missis sese propagant. Sic alii deinceps rami in infinitum, ut interdum unica arbor suis propaginibus milliare Italicum in ambitu occupet, sitque difficile, quænam primaria arbor, sive omnium istarum prolium parens, dijudicare, præterquam ex trunci crassitie, quæ interdum tanta est, ut trium virorum ulnis vix apprehendi possit. Cæterum non modo inferiores rami similes spargunt fibras, sed etiam in arbore summi, atque ideo unica arbor sylvam efficit densissimam, & non raro plura superstes manet secula. Sub eas vero arbores aditum sibi parant incolæ, ac fibras jam in truncos conversas, tenuiores sc. rescindere solent, atque ea ratione veluti concamerationes & umbracula faciunt, æstus arcendi gratiâ: adeo enim densis ramulis reliqui majores luxuriant, ut solis radii nulla ratione penetrare queant; imo aliquot hominum millia sub tali arbore latere possint.

Folia similia sunt foliis *Itti-alou*, at minora.

Fructus exigui, plano-rotundi, colore primum viridi, dein foris & intus ſanguineo, graniſque pleni uti vulgares ficus, dulces quidem, minus tamen grati ſaporis quam illæ, quapropter avibus potius quam hominibus cibo ſunt; naſcuntur inter folia quemadmodum vulgares ficus, *hoc eſt*, in novellis ramis, qua parte folia illis inhærent.

Naſcitur ubique in Malabar, imprimis circa Warapouli; viret per totum annum, fructuſque fert.

Cæterum ex arboris hujus cortice, radice, & foliis in oleo decoctis Balſamum paratur vulnerarium. Ex cortice in lacte ebutyrato cocto fit oris collutio, quæ aphthas abſterget, flaccidas & eroſas gingivas ſanat, nec non vacillantes dentes firmat.

TAB. 55.

Arbor hæc, & ſequentes *Alou* ſeu *Arbores da Raijz*; ſpecies ſunt illarum, quæ patt. 1. Tab. 25. 26. 27 28. 29. deſcribuntur, omneſque ad *Ficum Indicam Cluſii* merito referuntur; cum eodem modo è ramis undique diſfuſis tenuia quædam filamenta deorſum mittant, quibus ubi terram attingunt, firmantur, novamque quaſi prolem generant, & velut in novos arborum caudices tranſeunt: quod tamen *Eximius Botanicus Arnoldus Syen p. m.* haud notavit *in comment. ad Alou ſpecies part.* 1. *exhibitas.* Interim hæc *Itti-arealou* genus eſt *Itti-alou*, & *Arealou*; ac, uti ex illius deſcriptione ſuſpicari poſſet, forſan *Euzada Pigafettæ*: ſed fructuum ratione minor ſpecies videtur *Ficus Indicæ*, quam *Cluſius* deſcribit *Exotic. libr.* 1. *cap.* 1. Et noſtro judicio vocari poſſet *Ficus Malabarica, Folio mali cotonei, Fructu exiguo, plano-rotundo, ſanguineo.*

TSJE-

Tsjérou-meerallou Lat.

ചെറുമെരളല. Mal.

Paráï.

पानाङ्गा bram.

چهروف مغرل Arab.



TSJEROU-MEER-ALOU.

TAB. 56.

ARbor quæ Malabarenſibus *Tsjerou-meer-alou*, Brachmanis *Paray*, Luſitanis *Arvore da Raijs*, Belgis *Wortel-boom* nuncupatur, minor eſt ac humilior præcedentis ſpecies, eodemque modo creſcit, & propagatur ut *Itti-arealou.*

Folia ſimilia ſunt foliis ſeqq. *Atti-meer-alou*; at minora, & numeroſiora.

Fructus itidem fructibus *Itti-arealou* perſimiles; ſed minores, brevibuſque petiolis inter folia novellis ramis inhærent.

Cæterum uti *Itti-arealou*, creſcit quoque ſpecies hæc ubique in Malabar, præcipue in Provincia Warapouli; per totum annum viret, fructuſque fert.

Vires autem hujus arboris eædem ſunt, ac præcedentis, præterquam quod ex radice cum calce & curcuma in aqua decocta Balneum conficitur ad Epilepſiam & Lepram curandam.

TAB. 56.

Arbor hæc præcedentis ſpecies eſt, atque à nemine hactenus tradita; quapropter nominabimus *Ficum Malabaricam, folio & fructu minore.*


Urostigma mysorense Miq.

Tab. 57

Catu-álú. Lat.

കാട്ടാല Mal.

فحاطْ عَلُوْ Arab.



KATOU-ALOU.

TAB. 57.

K*Atou-alou* Malabarensibus, *Doulo-vadhou* Brachmanis, *Raysseira vidriado* Lusitanis, *Glas-vijge boom* Belgis, in arborem excrescit proceram, imo altiorem quam *Itti-alou*, *Peeralou*, *Tsjeru-meer-alou*, aut *Ittiare-alou*, atque fibris suis à ramis deorsum missis propagatur eodem modo ac *Itti-arealou*. Cæterum quoad lignum, corticem, & radicem, species hæc cum præcedentibus planè convenit.

Folia oblongo-rotunda, ac in mucronem desinentia, densa, fragilia, supernè glabra, atro-viridia, splendentia, infernè albicantia & lanuginosa, insipida, inodora; è costa media insigni plures nervuli ordinato ac parallelo ductu exeunt, qui ad oras arcuatim in se invicem incurrunt.

Fructus in novellis ramis, qua parte folia illis inhærent, sine petiolis proveniunt, rotundi, fructibus *Itti-arealou* persimiles, sed majores, colore primum viridi, dein flavescente, tandemque rubicundo, ac granis pleni, uti vulgares ficus, dulces quidem, sed minus grati saporis quam illæ.

Crescit hæc *alou* species in multis locis Malabar, præcipue in provincia Parakaroo; per totum annum viret, fructusque fert, & aliquot secula superstes manet.

Porro ex arboris cortice in aqua decocto conficitur oris collutio, quæ aphthas maturat & absterget, nec non dentes vacillantes firmat: idem decoctum potum renes expurgat, & urinam ducit. Insuper ex eodem cortice cum cancri pedibus in oleo cocto Balsamum paratur, quod auribus

inſtillatum earum exulcerationes ſanat, nec non tinnitum & ſurditatem tollit. Denique ex radice & arboris cortice ſimul coctis Balneum fit, quod curandæ lepræ, nec non quibuſcunque artuum doloribus mitigandis mirificè conducit.

TAB. 57.

Katou-alou eſt ipſa *Ficus Indica*, *Cluſii Exotic. libr.* 1. *cap.* 1. & *Ficus Indica foliis mali Cotonei ſimilibus*, *fructu ficubus ſimili*, quam deſcribit *Caſparus Bauhinus pin. lib.* 12. *ſect.* 1. Errat tamen idem *Bauhinus*, quum *Euzadam Pigafettæ* pro hac arbore deſcribit. Neque *Katou-alou* eſt *Arbor da Raÿz*, *Linſcoti*, uti ex imagine ejus manifeſtum fit: ſed forſan illa, quam *Rochefortus de plantis Americanis* proponit.

ATTI-

Atti-meer-alou. Lat.

[illegible] Mal.

पानाई bram

[illegible] Arab.



ATTI-MEER-ALOU.

TAB. 58.

ARbor hæc Malabarensibus *Atti-meer-alou*, Brachmanis *Rauka-paray*, Lusitanis *Arvore da raijs ladraô*, Belgis *Wortel-vijgh* nuncupatur. Estque vastæ magnitudinis, caudice crasso, tenues quasdam & singulares fibras deorsum mittente, quæ ipsi caudici adhærescentes crassissimum eum reddunt; adhæc iisdem fibris arbor terræ firmatur, multisque ramis in orbem diffusis longè latéque propagatur. *Lignum* albicans, molle, & flexile, cortice subviridi cinereo obductum, qui ubi inciditur succum stillat lacteum, acrem, inodorum

Radix albicans, glabro & nigricante cortice tecta, nec non fibris suis late per terram diffusa; læsa liquorem fundit candidum, unctuosum, qui dein cum incisa radice purpureus evadit.

Folia foliis *Atti-alou* part. 1. Tab. 25. descriptæ, haud absimilia, brevibus petiolis novellis ramis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, densa, communi virore nitentia, supernè glabra, infernè nonnihil aspera, nervis aliquot è media costa, in duas inæquales partes folium dividente, in latera excurrentibus; sapor amaricans, & acerbus.

Fructus brevibus petiolis inter folia ramulis inhærent, fructibus *Are-alou* part. 1. Tab. 27, descriptæ, persimiles.

Provenit ubique in Malabar; per totum annum viret, fructusque fert. Initium sumit ex arborum quarundam caudicibus, aut e rupibus, vel antiquorum murorum rimis & fissuris, e quibus convolvuli instar prodit; dein radix & truncus tenuia quædam filamenta deorsum mittunt, quibus caudex insigniter crassescit; cumque iisdem fibris terræ firmatur, longe latéque propagatur; adeo ut arbor,

e qua initium ſuum duxit moriatur, hæc vero evadat maxima omnium arborum, quæ in Indiis adhucdum repertæ ſunt, nec non ſecula aliquot ſuperſtes maneat.

Cæterum arbor hæc indigenis ſpecies habetur *are-alou*, quanquam illis ſacra non ſit, uti *are alou* Cingalenſibus, quam *Bhoudou-gas* ſeu *Rhoo-gas*, à quodam *Bhoudou* ſacro ipſis Numine, appellant. In *Kandenato* Regionis Cochin Provincia, juxta templum *Baykam* hujuſmodi habetur arbor, caudice craſſiſſimo, quæ in circumferentia quinquaginta obtinet pedes geometricos, quamque incolæ bis mille annos ibidem creviſſe affirmant. Porro ex arboris hujus radice decoctum fit, hepar obſtructum potenter aperiens; eodemque ſi os colluatur præſtantiſſimum evadit adverſus quoscunque oris affectus remedium: foliorum ſuccus febribus medetur ardentibus. Fructus quoſcunque alvi fluxus ſiſtit.

TAB. 58.

Arboris hujus deſcriptionem nullus Botanicorum hactenus exhibuit. Videtur genus præcedentium *Alou* ſpecierum; differunt tamen maximopere modo creſcendi: Enimvero illæ è ramis tenuia deorſum mittunt filamenta, quibus terræ firmantur, novamque quaſi prolem generant; hæc autem non è ramis, ſed è caudice tenues quaſdam fibras deorſum mittit, quibus non propagatur, verum caudex craſſiſſimus fit.


Handur-álu. Lat. Tab. 59.

[illegible] Mal.

Vódu.

[illegible] bram.

[illegible] Arab.



HANDIR-ALOU.

TAB. 59.

ARbor quæ Malabarensibus *Handir-alou*, Brachmanis *Vodou*, Lusitanis *Figos de Buzio*, Belgis *Kray-vygh* appellatur, procera est, caudice crasso, candido, fungoso, cortice cinereo obducto, multisque ramis latè diffusis ornato.

Similiter *Radix* nigricans fibris suis latè per terram diffunditur; sapor acris, odor nullus.

Folia sine ordine novellis ramis inhærent, oblongo-rotunda, densa, glabra, fragilia, longitudine spithamam, latitudine quatuor circiter pollices æquantia, superne atro-viridia, inferne subviridia, splendentia; nervis aliquot in adversa parte eminentibus e media costa, ordinato ac parallelo ductu, in latera excurrentibus: sapor austerus, odor sylvestris.

Fructus itidem granis pleni uti vulgares ficus, ac fructibus *Atti-alou* part. 1. Tab. 25. descriptæ, persimiles. Ab hominibus non comeduntur, sed desiderantur à simiis & cornicibus; quam ob causam Lusitanis *Figos dos Buzios*, hoc est, *Simiarum ficus* fructus hi nuncupantur.

Nascitur ubique in Malabar, præcipue in fluminum ripis, & locis montanis ac petrosis Mangotti; viret per totum annum, fructusque fert, & aliquot secula superstes manet. Ab avibus seritur: eæ namque quum fructus comedunt, exigua illorum granula (in quibus germinandi vis consistit) cum excrementis iterum deponunt, è quibus denuo arbores excrescunt.

Cæterum arboris hujus foliorum tenellorum ſuccus expreſſus ad èroſas gingivas, ſimileſque oris affectus egregium eſt remedium, ſi eo os colluatur. Ex eodem ſucco cum butyro recenti digeſtivum fit, Ulceribus mundificandis & conſolidandis perquam utile. Ex radicibus & foliis ſimul in aqua decoctis Balneum paratur, quod ſanandæ lepræ, & epilepſiæ conducere dicitur.

TAB. 59.

Hujus quoque arboris nullus meminit Botanicorum: Species eſt præcedentis; filamenta namque non è ramis, ſed è caudice deorſum mittit, quæ ipſi caudici adhærentia craſſiſſimum eum reddunt. Adhæc *Handir-alou* magnam habet ſimilitudinem cum *Arbore Peregrina, Fructum ficui ſimilem gerente*, quam *Cluſius* perfunctoriè deſcribit; & referri forſan poteſt ad *Tepeamatl*, ſeu *Sycomoro Saxatil Mexicana*, quam *Recchus* proponit.

TERE-

Teregam. Lat.

തെരകം. Mal.

Arab.



TEREGAM.

TAB. 60.

*T*Eregam seu *Terega-maram* Malabarensibus, *Caravatti* Brachmanis, *Arvore da Raspa* Lusitanis, *Rijv-boom* Belgis, arbor est procera, triginta circiter pedes alta, caudice crasso, cortice atro-viridi, intus albicante obducto, nec non ramis lanuginosis ac asperis in orbem diffusis eleganter ornato; Lignum ex albo flavescens, molle, insipidum, inodorum.

Radix fibrata, albicans, cortice rubicundo, intus croceo tecta, inodora, insipida.

Folia rotundis, viridibus, ac hirsutis ramulis sine ordine inhærent, foliis mali citrii haud absimilia, atro-viridia, densa, spinulis quibusdam tenuibus & rigidis omni ex parte vestita.

Fructus ad ramulorum exortum ramis inhærent, Alou fructibus persimiles, rotundi, lanuginosi, cerasi nigri majoris magnitudine, viridi primum, dein flavescente colore, ac granis pleni, insipidi, inodori.

Provenit locis sylvestribus Malabar, imprimis circa Cochin; per totum annum viret, fructusque fert, ac diu superstes manet.

Folia autem hujus arboris usurpantur ad scrinia, ac quæcunque lignea, cornea, stannea, & argentea vasa fricanda, atque scabritie suâ polienda ac læviganda, quam ob causam Malabarensibus *Terega*, Lusitanis *Folhas da Raspa*, Belgis *Rijv-bladeren* nuncupantur. Radix cum aceto è nuce Indica confecto contusa, & mane jejuno ventriculo assumpta viscerum ardorem compescit. Fructus itidem impensè refrigerant.


TAB. 60.

Nemo, quod sciam, *Teregam* fecit mentionem: adeoque nobis erit *Ficus Malabarica*, *foliis rigidis*, *Fructu*
fructuum ratione species *Ficus Indicæ* haberi posse; sed *rotundo*, *lanuginoso*, *flavescente*, *cerasi magnitudine*.
modus crescendi cum præcedentibus planè discrepat.

Perim-téregam. Lat.

പെരു തെരക. Mal.

- بِحِهْرُوُمْ طِحِهْرِ غِغُوُمْ Arab.



PERIN TEREGAM.

TAB. 61.

ARbor quæ Malabarensibus *Perin Teregam*, Brachmanis *Meri Carabatti*, Lusitanis *Arvore da Raspa major*, Belgis *groote rijv-boom* nuncupatur, præcedentis species est major, atque altior, caudice crasso, candido, molli, multisque ramis geniculatis donato, qui cortice cinereo, hirsuto ac subaspero cincti, intusque medullâ coccineâ referti sunt.

Radix albicans & lactescens, nigricante cortice obducta, nec non fibris suis latè per terram diffusa, inodora, insipida:

Folia similia sunt foliis *Teregam*, at majora, & crassiora.

Fructus vel solitarii, vel plures simul juncti ramulis inhærent, præcedentis speciei fructibus intus ac extus persimiles, sed majores.

Nascitur in sylvis Malabar, præcipue in Parou, per totum annum viret fructusque fert, & integrum seculum frugifera manet.

Cæterum folia hujus arboris iisdem usibus inserviunt, ac folia *Teregam*: Fructus contusi usurpantur ad aphthas; insuper ex iisdem in lacte caprino coctis potus conficitur, qui hepatis obstructioni, ejusdemque scyrrho potenter medetur: etiam ex fructibus hisce cum arboris cortice in aqua coctis Balneum fit, quod endemiis corporis maculis leprosis tollendis conducit.

TAB. 61.

Etiam arbor hæc, fructuum ratione, præcedentis nec non cæterarum *Alou* specierum genus videtur; distinguitur tamen ab his modo crescendi, uti de *Teregam* dictum. sed quoniam nemo hactenus ejus tradidit descriptionem, plura addere non possumus.

VALLI-TEREGAM.

TAB. 62.

V*Alli-Teregam* Malabarensibus, *Caravatti-valli* Brachmanis, *Arvore de Raspa pregiroso* Lusitanis, *Climmende Rijv-boom* Belgis, Convolvulus est arborescens, humilis, sex septemve circiter pedes altus, caudice tenui, candido, cortice furvo obducto, ramis tamen lanuginosis latè undique, aliorum convolvulorum in modum, proserpentibus donato.

Radix itidem fibrata, albicans & lactescens, rubicundo cortice tecta, inodora, insipida.

Folia decussatim ramulis inhærent, densa, primum profundè incisa, dein oblongo-rotunda, acuminata, spinulis undique vestita, ac foliis *Perin-Teregam* similia, sed minora

Fructus cum magnitudine tum figura prunorum æmuli, intus & extus *Teregam* atque *Perin Teregam* fructibus haud absimiles.

Crescit etiam in sylvis Malabar; per totum annum viret, fructusque fert. Folia itidem hujus convolvuli iisdem usibus inserviunt, ac folia *Teregam* & *Perin Teregam*. Succus è radice expressus & assumptus alvi cruciatus lenit: similiter e foliis cum lacte dulci contusus expressus succus dysenteriam curat. Radicis cortex cum coriandri semine in pulverem redactus & exhibitus, tussi, asthmati, similibusque thoracis affectibus medetur.

TAB. 62.

Valli-Teregam duarum præcedentium species est, ratione fructuum & foliorum; quæ novella foliis *aceri montani candidi* C. B. haud absimilia sunt, at dein aliam planè acquirunt formam.

Válli-téregam. *lat.*

വള്ളിതെരകം, *Mal.*

وَاللِيْ طِهْرَاغَامْ *Arab.*



Urostigma Tjiela Miq

Tsiela. *Lat.*

ചെല *Mal.*

Asuatu.

अश्वथु *bram.*

جهلا *Arab.*



TSJELA.

TAB. 63

Arbor hæc Malabarensibus *Tsjela*, Brachmanis *Asouatou*, Lusitanis *Morsegeiro*, Belgis *Vledermuys-boom* appellatur, estque vastæ magnitudinis, septuaginta circiter pedes alta, caudice crasso, octodecim pedum mensuram in ambitu haud raro superante, multisque ramis in orbem diffusis donato. Lignum albicans, cortice crasso, scabro, cinereo, intus ruso obductum; cujus matrix prædura, crocea.

Radix albicans, flavescente cortice tecta, fibris suis crassioribus profundè terræ inhæret; sapor lacteus ac subsalsus, odor nullus.

Folia rotundis ac subviridibus petiolis in novellis ramis densâ congerie proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, communi virore supernè splendentia, infernè subviridia, insipida, inodora; e media costa nervuli plures ordinato ac parallelo ductu exeunt, qui ad oras arcuatim in se invicem incurrunt.

Fructus ipsis ramulis inter folia sine petiolis adhærent, cum formâ tum magnitudine ribesiis haud absimiles, suntque exiguæ ficus, rufis granulis plenæ uti omnes *Alou* & *Teregam* fructus, insipidæ, inodoræ.

Nascitur locis sylvestribus, montanis, ac petrosis Malabar, præcipue in Ambalakatti, atque per totum annum fructus fert. Vespertiliones, quoniam fructibus delectantur, in hac arbore frequenter nidificare solent, quam ob caussam Lusitanis *Morsegeiro*, nostratibus *Vledermuys-boom* dicitur.

Cæterum ex arboris hujus radicis cortice cum pipere longo in aqua communi decoctum paratur, quod tussi inveteratæ, aliisque pulmonis affectibus medetur. Lacteus e radice & fructibus expressus succus efficax in oculorum vitiis remedium est.


Tsiéla. Lat.

ചെല Mal.

Rána-vodú.

रानवडु bram.

Arab.



TSJAKELA.

TAB. 64.

TSjakela Malabarensibus, *Rana-vodou* Brachmanis, *Cordoeira* Lusitanis, *Heup-boom* Belgis, arbor est procera, caudice candido, præcrasso, multisque ramis crassioribus in orbem diffusis donato, cortice nigricante intus purpureo obducto, quo leviter inciso succus exstillat lacteus, acris, inodorus.

Radix fibrata, albicans, flavescente cortice tecta, incisa & vulnerata similem plane emittit lacteum succum.

Folia rotundis ac viridi-albicantibus petiolis in novellis ramis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, densa, longitudine spithamam, latitudine palmum superantia, supernè communi virore nitentia, infernè subviridia, insipida, inodora, nervis aliquot albicantibus, ac eminentibus e media costa in latera excurrentibus.

Fructus præcedentis speciei fructibus similes sunt.

Crescit locis montanis Malabar, præcipue in sylvis Paracaroo; semel in anno, viz. Decembri & Januario mensibus fructus fert, atque sobole sata ad quinquagesimum usque annum non raro frugifera manet.

Porro ex arboris cortice peculiari artificio Chordæ torquentur, quibus arcus tenduntur. Nec non color paratur rubicundus, quo vestimenta *panos de Cambaya* ipsis dicta, tinguntur.

Cæterum arbor hæc eosdem habet in Medicina usus, ac *Atti-alou* part 1. Tab. 25. descripta.

TAB. 63. 64.

Haud dubitandum, quin duæ hæ arbores præcedentium sint species, sed à nullo Botanographo, quod sciam, descriptæ.

INDEX.

ERRATA EMENDANDA.

PAg. 1. lin. 13. lege *Karetala*. p. 2. l. 18. *exactè* p. 3. l. 8. *exactius*. & l. 17. *ex majori*. p. 4. l. 1. *emittit*. l. 3. *erumpant*. l. 7. *ramus*. l. 9. *obſeptus*. l. 17. *genuina*. l. 23. *promiſcondis*. p. 5. l. 15. *Malee*. lin. 26. dele *adhuc*. p. 6. l. 12. col. 1. *Carinpannam*. col. 2. *Bauhino*. p. 7. l. 3 *Niecol*. l. ult. col. 1. dele *&*. p. 9. l. 3. *Malabarenſibus*. p. 11. l. 21. *ſingulæ*. p. 12. l. 29. *Courounada*. l. 31. *in*. p. 13. l. 14. *Soteetſou* & *nuncupant*. p. 18. l. 16. *teguntur*. p. 19. l. 25. *Kaungæ*. 27. *quocum*. 30. *Bubulis*. p. 20. l. 15. col. 1. *deſcribit*. ibid. col. 2. leg. *jaceros nuncupantur*. p. 21. l. 6. *Atoeira*. l. 16. *diffunduntur*. l. 17. *Malakatsjamlou*. p. 22. l. 2. *decerpuntur*. p. 25. l. 6. *ſedecim pedum*. p. 29. l. 2. leg. 33. l. 22. *rufis*. p. 31. l. 1. *Guajabo*. p. 32. l. 4. *manetque*. l. 18. col. 1. *Guayavos*. col 2. l. 17. *Pin*. & *Indica*. l. 28. *Plant*. pag. 37. l. 21. *in quinque lacinias*. l. 31. *oblonga*: p. 38. l. ult. *Serifole*. p. 41. l. 13. *deteguntur*. l. 22. l. *maturioribus molliſſima*. p. 43. l. 5. *do Mato*. p. 44. l. 10. *Tirpontarë*. p. 50. l. 11. *camphora*. p. 52. l. 28 dele *&*. p. 53. l. 17. col. 1. *Carambolas*. col. 2. l. 16. *Chamaroch*. p. 60. l. 11. *Aprili*. p 61 l. 28. *numeroſis*. p. 63. l. 5. *Maroin*. p. 69. l. 4. *Arvore*. lin. 12. *quinquaginta crevere) tenues*. p. 71. l. 17. *conficiatur*. p 74. l. 10. *Enzadam*. p. 75. l. 4. *Rouka-paray*. p. 76. l. 3. *ſint*. p. 77. l. 4. *do Buzio*. p. 87. l. 3. *Tsjahela*.

In Dedicatione pag. 2. lin. 15. lege *aliquamdiu*.

In Præfat. ſeu Epiſt. Municks ad Lectorem Botan. pag. 1. lin. 22. lege *celſiſſimas*. lin. penult. *aliorum*. lin. ult. *accurata*.